ARRESTVM SIVE PLACITVM PARLAMENTI THOLOSANI,

CONTINENS HISTORIAM (IN caſu matrimoniali) admodum memorabilem, adeoque prodigioſam: vnà cum centum elegantiſſimis atque doctiſſimis Annotationibus Clariſs. I. C. Dn. Ioan. Coraſij, Conſiliarij Regij, & illius Proceſſus Referentis. Omnia ex Gallica lingua (in gratiam illorum qui eius ignari ſunt) in Latinam conuerſa.

DOCTISS. VIRO HVGONE SVRÆO GALLO INTERPRETE.

Quibus adiunximus Arreſtum in eadem controuerſia, ex Domini Ioannis Paponis, XXII *Arreſtorum libro.*

Cum Indice, verborum & rerum memorabilium, nouo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRDI
Apud heredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium & Ioannem Aubrium,
ANNO MDLXXXVIII.

CLARISSIMO VIRO
DN. IOHANNI FICHARDO,
Patricio Francofurtenſi, I.C. celeberrimo, Patriæque Aduocato & Syndico primario, Domino & Mecœnati ſuo in primis colendo
S.P.D.

QVÆ ſit humanarum rerum fragilitas, Ficharde clariſsime, ſuperiore anno præmatura ſua morte, etiam noſter ille Hugo Suræus non ſine doctiſsimorũ virorum ſuſpiriis, teſtatus eſt. Qui cum laudatiſsimæ Andreæ Wecheli, viri optimi & humaniſsimi, Typographiæ ſtrenuã nauaret operam, talẽ ſuæ induſtriæ, quam exacta, nõ ſolùm Latinæ & Græcæ, verùm etiam Hebraicæ atque Chaldaicæ linguæ notitia ornabat, laudẽ conſequutus eſt, vt omnibus bonis & doctis viris

eſſet gratiſſimus. In primis verò tibi, quē meritò omnes, qui humanitatis ſtudia ſyncero animo colunt, & de repub. literaria aliquo benemerēdi ſtudio tenentur, vt ſummum integerrimumq; Mecœnatem colunt, & amplectuntur, tam arcta iungeretur amicitia, atq; familiaritate, vt maximis eum beneficiis vltro ornare gauderes, adeoq́; cum omni familia in ædibus tuis ſuburbanis, ſingulari cum beneficentia foueres. Quam ille tuam humanitatem & munificentiā, eo amplectebatur animo, eaq; proſequebatur obſeruantia, vt nullum grati hominis officium negligeret. Qua eius integritate factum eſt, vt ab eo, vir Clariſſ. petere nō dubitares, vt hiſtoriam illam prodigioſam Pſeudo Martini illius Galli, perpetua ſane memoria, ob inauditū & incredibile prope eius facinus, dignā, vnà cum Commentariis & Annotationibus

nibus clariſsimi quondam I.C. Iohannis Coraſij, ex Gallica in Latinam linguam transferret, in eorum nempe gratiã, qui Gallicam ignorant. Quod ille & promptiſsimo animo aggreſſus eſt, & fœliciter abſoluit. Vtq; ſuæ gratitudinis, pro ſummis, quibus eum tua magnificentia afficiebat beneficiis, victurum aliquod monimentum poſteritati conſecraret, ſub clariſsimi tui nominis auſpicio, hanc ſuã verſionem in publicũ edere cõſtituerat.

Ecce autem, cùm ſupremam manum huic labori ſuo impoſuiſſet, & iam iã dedicationem quoq; adornaturus eſſet, ſuo etiam caſu verum eſſe oſtendit, quod eleganter à Xenophonte dictum eſt, δεῖ τὸν ἄνθρωπον ὄντα πάντα προσδοκᾷν, *& quòd* οἱ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμεν, *ut cum Theocrito loquar. Ex improuiſo ſiquidem anno ſuperiore, in ipſa Vindemia, peſte Rempub. noſtram tunc*

infeſtante, ex hac vita, non ſine magno doctorum virorum, quibus ille notus erat, tuoq́; cum primis dolore, ex hac miſera vita, vnà cũ vxore ſua, in cœleſtem illam auocatus eſt. Ob quam ſortis mutationem, quemadmodum meritò ei nos omnes, qui ad eandem cœleſtem illam aſpiramus patriam, gratulamur, ſic rurſus meritò luctu acerbo turbamur, quoties viros doctrina, vitæq́; integritate conſpicuos huic vitæ valedicere animaduertimus, ſuccedentibus non rarò iis, qui ὄνοι πρὸς λύραν, ſua inſcitia nihil aliud præſtant, niſi quòd ſtrenui ſint barbariei propugnatores.

Cum autem de illo Suræi, fœlicis memoriæ, propoſito ſatis mihi conſtaret, nihil me alienũ facturum putaui beneuolentia ea, qua viuum proſequutus ſum, ſi ea in re vices eius ſubiens, cliens videlicet clientis, ipſius nomine Hiſtoriã il-

lam

lam prodigioſam de PſeudoMartino, tuæ Amplitudini, cui iam antea ab ipſo Suræo deſtinatus hic liber fuerat, dedicarem. Non quòd in alienos labores temere inuolare, iisq́ue mihi neſcio quid gloriolæ venari cogitem, ſed vt viri opt. & doctiß. manibus gratificarer, & mea hac qualicunque opella id præſtari curarem, quod ipſe cum in viuis eſſet, vnicè in votis habebat.

Nec verò dubito laborem illum Suræi hîc præſtitum, viris doctis, præſertim verò Iuri ciuili addictis, fore gratiſſimũ. Non enim in ſcenam hic geminus Amphitruo, aut Soſia geminus, vel Menæchmi, indiſcreta forma introducuntur, ſed literis mandatur res verè geſta, nulli veterum exemplo, vel ex hiſtoriis, vel ex fabulis deſumpto, conferēda: quæ in Foro diu agitata, & diſceptata, graues prudentißimorũ Patrum & Iuriſ-

conſultorum coniecturas atq; delibera-tiones nobis ob oculos ponit: quantiq́; res ſit periculi plena, temere in cauſis arduis & controuerſis præcipitare ſententiam, docet atque declarat. Quin etiam diuinæ, tum miſericordiæ, tum prouidentiæ, nos admonet. Nam dum Patres, Iudicesq́ue incerti planè in ſtudia contraria ſcinduntur, & iam inſontibus etiam ſupplicia imminere videntur: ecce verus ille Martinus quaſi θεὸς ἐκ μηχανῆς apparet, ſuoq́; interuentu efficit, vt nefarius ille & ſuppoſititius Amphitruo, digno afficiatur ſupplicio, & iamiam inurenda infamia perſonæ inſontes, liberentur.

Quapropter vir Clariſsime, multíſque nominib. mihi ſuſpiciende, hāc verſionem, fœlici quidem Mercurio natā, ſed Parcis inuidentibus editam, tuæ amplitudini, Suræi illius loco dedico, ſi modò dedicare fas eſt, quæ propria nō ſunt.

Verùm

Verùm & hîc mihi PſeudoSuræum, vel PſeudoMercurium in hac Pſeudo Martini hiſtoria (verùm in cauſa plauſibiliore) agere liceat, cum fata nobis verum Suræũ ſubtraxerint. Et ſanè ſpem foueo optimam, hanc meam qualemcunque opellam, T. A. acceptam fore. Cum enim ea tuæ humanitatis, qua viros doctos, tum noſtræ Germaniæ, tum exterarum quoq; nationum, non ſolùm proſequeris, verùm etiam bene de eis mereri, eiſq́; te fidum Mecœnatem præbere ſummo anniteris ſtudio, ſit gloria, vt nemo, niſi qui ex Muſarum & Charitum cætu prorſus excluſus eſt, eam inexploratã habeat, quî dubitare poſſim de tua beneuolentia erga hanc meam qualemcunq; opellam, vel potius triſte miniſterium, Suræo illi τῷ ἀνδρὶ μουσικωτάτῳ καὶ χαριεστάτῳ *præſtitum?*

Huic ergo libro in Bibliotheca tua

longè inſtructiſsima, vt monimento Suræi illius, pro tua humanitate locum, quem voles, aſsigna, & me etiam licet haud promeritum, qua hactenus proſequutus es beneuolentia, proſequi perge. Vale vir Clariſsime, & commẽdatum me tibi ſemper habe. Francofurti VII. *Calend. Aprilis.*

T.

A.

obſeruantiſs.

Philippus Lonicerus.

INDEX, RERVM ET VERBORVM IN HOC OPERE MEMORABILIVM, *nouus.*

ACh[æ]us Lydorum rex ob auaritiam & tyrannidem pedibus ſurſum verſis, & capite in auriferum Pactolum dependente, à populo ſuſpenſus eſt 166
Adulteria apud Gallos inter ingenioſa numerantur 154
Adulterij crimen 151
Aeromantia 118
Ætas, matrimonio conuenientiſſima 5
Albertus Magnus æneum caput loquens effinxit 115
Alceſtis amor erga maritũ Admetum Theſſaliæ regem 45
Alexander Magnus alteram aurem reſeruat Reo 48
Alienatio rei alienæ quomodo valeat & quando: & an emptor teneatur etiam ad fructus perceptos à tempore contractus 31 & 32
Amatoria pocula 119
Amicitiæ fructus & ſuauitas eiusque laudes 13
Antoninus Commodus Imperator vnde crudelis 119
Apollonius Thyanæus mirus Magus 117
Arcem Principi tradens, qua poſſit contra omnes vti, non intelligitur contra ſe, vel ſuos propinquos tradidiſſe 123
Archytæ Tarentini inuentum 115
Argumentum à ſimili 95
Arreſti ſignificationes duæ 111
Auaritia grauiſſimum crimen 40

BLaſphemia quomodo committatur 72, 73. & quando mitius punienda ibid.
Boetij inuentum 115
Bona fides in emptore quæ operetur 32
Bonæ fidei poſſeſſor quandiu quis cenſeatur 33
Bonæ fidei poſſeſſor quis habendus ibid.

CAcodæmonẽ quidam procreauit 24
Calumniatorũ crimen deteſtabile, & eius pœna 47

Capitis amputatio: pœna nobilium 177
Capnomantia 118
Cauſſa proxima, & cauſſa remota differunt 175
Chiromantia 119
Columba lignea 115
Coniugia immatura, ferè nunquam ſunt proſpera. Et quare 3
Coniugum amor mutuus 28.43.45.46
Corpora ſupplicio affectorum, an ignominia licitè affici poſſint 169 170
Cōſuetudinis probatio 101. 102
Crimen leſæ maieſtatis 176
Danaus quinquaginta filiarum pater 46
Debitores vel quibus cum actio nobis eſſe poteſt, familiariter, prius quam res in iudicium deducatur, monendi ſunt, nec ſemel tantum 44
Dei oculus omnia videt 110
Diaboli Epitheta in Scripturis 47.48
Diabolus ab homine natus 24
Diuortium ob impotētiam ante triennium non concedendum 56
Draconis leges ſanguine nō atramento ſcriptas dicebat Demades. 162
Error in perſona impedit matrimoniū 173
Error non temere præſumitur 109
Error probabilis excuſat delictum 34
Fab. Max. à multitudine verrucarū, Verrucoſſus cognominatus 101
Falſo procuratore in Conſiſtorio principis geſta; ne per ratificationem quidē confirmari poſſunt 88
Falſus procurator quis 87
Fama in ciuilibus ſemiplenè, in criminalibus nihil probat 104
Fama quando probet ibid.
Fœminæ cur citius quā mares ad coniugium aptæ ſint 6
Fœminæ faciliter credunt, & decipiuntur 129
Fœminæ in rebus ſuppoſititiis perſpicaciori ſunt iudicio quàm viri 17
Formæ ſimilitudines miræ in hominib. 16.17.103.106
Formæ ſimilitudo ſæpe hominibus impoſuit 16.17. 103
Franciſcus Barbarus Venetus memoriam amiſit ſenex 71
Frater à fratre in teſtem nominari poteſt, quoad probandum cædem ſe tuendi cauſſa factam 77

Furti

Furti crimen, & an capitale ſit 161
G. Trapezuntius memoriam ſenex amiſit 71
Galliæ Conſuetudo in puniendis criminibus grauioribus 149
Galliæ leges, quando hominem publicant ſimul etiam bona eiuſdem publicant 172
Gaudium ob nimium aliquoties homines mortui 124 &c.
Geomantia 118
Goetia Magia 117
HÆreſeos crimen an per duos teſtes probetur 101
Hæreſeos in crimine Iudices debent eſſe cautiſſimi 102
Homines diuerſis parentibus & locis & longè diſſitis, orti, quare ſibi ſimiles 19 & 20
Hebetes quidam 71
Homicida nō excuſatur qui per errorem alium pro alio occidit, habens tamen propoſitum hominem occidendi 128
Hominum conuerſio in alium ſexum non inficianda 120
Hydromantia 118
Hypermeneſtræ laus 46
IAcobi & Leæ matrimonium defenditur 174
Ilecanomantia 118
Impotentia coeundi vnde cauſetur 53
Impotentia ex faſcinatione 55
Impoſtores ob formæ ſimilitudinem 28, 29 &c.
Infantes dicuntur vſque ad ſeptennij ætatem 96
Ioanna Anglica, poſtea Papa creata 149
Ioann. Coraſius Senis anno M. D. XXXVI. ſub Decio Doctoratus inſignia accepit 71
Iudex in rebus dubiis eam ſententiam amplecti debet, in qua minus eſt periculi 90
Iuramentum non defertur in criminalibus cauſis 107
Iuramentum quando à parte parti deferri poſſit 84
Iuriſiurandi religio 108
Iuuentus temeraria, inconſtans, improuida 102
LAchrimæ fœminarum 136
Lachrimæ hominibus vnde 66
Laodice regina 142
Leonis Byzātini hiſtoria 94
Liberi cur aliquando patri, alias matri ſimiliores ſint 26, 27

Liberi ex putatiuo matrimonio iuſto errore interueniente, ſunt legitimi, & ſucceſſibiles in omnibus, etiam feudalibus bonis 35.171
Lingua Cantabrica difficillima 70
Locus Matt. 19. cap. de caſtratis explicatus 55
Loti inceſtus excuſatur 34
Lucretius poeta, & eius mors 119
MAgia Cæremonialis 115
Magia naturalis ibid.
Magiæ diuerſa genera 116
Magiæ duo genera 115
Magię inuentor Zoroaſtres rex ibid.
Magiam non eſſe fabulam, nec nomen inane 114
Maritus, vxorem nimium diu deſerẽs culpabilis 7,8
Matrimonij præcocis exempla 5
Medorum fœminæ ſummam fœlicitatem ducũt, plurium virorum vxores eſſe 173
Memoria qui penitus exciderint 71
Memoria ſtupenda præditi viri 52
Meſſala Coruinus Orator clariſſimus, ex morbo proprij nominis oblitus 71
Metus quomodo probetur 85
Moderatè in criminalibus, quo ad infligendas pœnas, agendum 168
Monachi an excuſentur fornicando 156
Mors omnium malorum finis 130
Mortem ſibi ipſi conſciſcere, quàm graue ibid.
Mutatio habitus corporis in hominibus ſæpè contingit 93
NEcromantia 116
Negatiua difficilis probationis 98
Negatiua loco & tempore coarctata ibid.
Nominis mutatio, dum abſit fraus, permiſſa 36,37
Notę quibus homines agnoſcuntur 67
PApa Ioãnes XIII in adulterio occiſus 127,128
Papa Sergius, aliàs *Bocca de porco* cognominatus 139
Papa teſticulos habet 151
Paparum nominum mutatio vnde & quando cœperit 140
Patriæ ſuauitas & amor 42
Penelopes caſtitas & laus 9
Periclis amor erga vxorem Aſpaſiam 43
Pharmacia 119. & quàntum à Magia differat ibid.

Phi-

Philippus Decius in ſenectute anno M.D.XXXVI. memoriam amiſit 71
Picturæ elegantes in cubiculo cõferunt ad formam liberorum 23
Plagij crimen 160
Pœna & ſupplicium in loco delicti 165
Portia Catonis filia 10
Præſumitur à præterito tempore ad præſens 109
Præſumptio ex præteritis etiam ad præſentia, & futura fit 74
Præſumptio pro matrimonio in eius fauorem præualet 89
Præſumptio ſemper in benigniorem partem facienda 60,74
Prætexta & bulla aurea puerorum nobilium 6
Probatio per famam 79
Propoſitum in delictis potiſſimum inſpiciendum 176
Prouerbia ſimilitudinis 82, 83
Ptolemæus Philadelphus præ lætitia lachrimatus eſt, cum libri Sacri literis aureis deſcripti ei porrigerentur 65,124
Pyromantia 118
RAptus crimen eiuſque circunſtantiæ 157
Rei actoribus fauorabiliores 89
Rubria Mediolanenſ. 143
SAcrificuli an excuſentur fornicando 156
Sacrilegij crimen eiusq; ſpecies 159
Sapientum filij ſæpe ſtulti & degeneres 22
Semel malus, ſemper præſumitur malus in eodem mali genere 74
Sequeſtratio regulariter prohibita, certis tamen caſibus permiſſa eſt 58,59
Simon Magus 115
Socratis Dæmonium 117
Suppoſitionis crimen 140, 141
Suppoſititij partus crimen 37. & eius pœna ibid.
Suppoſititiorum exempla memorabilia 142
Suſpendiũ inter omnia ſuppliciorum genera ignominioſiſſimum 166
Suſpenſorũ cadauera quondã non ſepeliebantur 167
TEſtes auriti non multum ponderis habent 69
Teſtes ſi priori ſuo teſtimonio poſtea contradicant, an reiiciendi 99
Teſtes ſingulares etiam innumeri nihil probãt 101. & quatenus id procedat ibid.
Teſtes Teſtamentarij 63
Teſtibus diſcordãtibus, quæ

Iudici conſideranda ibid.
Teſtibus duobus affirmantibus plus creditur, quam mille negantibus 75.91. 98
Teſtis, etſi fide dignus, tenetur rationem ſui dicti reddere. Et in cauſa criminali etiam non interrogatus 64
Teſtificari contra ſuos propinquos, maximè in criminali cauſſa nemo cogitur 123
Teſtimonia propinquorum quando admittenda 76. 77
Teſtimoniũ de auditu quando valeat 92
Teſtium numerus non magis quàm teſtimoniorũ veriſimilitudo reſpicienda 91
Teſtium verbis non ſemper credendum 61.62
Theurgia Magia 117

Vidua ſtatim à morte mariti nubente alteri, & nono menſe pariente vtri ſit partus attribuendus 26
Vliſſes à Telegone, ſuo ex Circe filio, incognitus occiſus 122
Vxor quamdiu abſentem maritum exſpectare teneatur 10
Vxor vi compreſſa ab alio, excuſatur, ſi marito præ pudore non ſtatim indicarit 181

FINIS.

BREVE TOTIVS REI ARGVMENTVM, ET SVMMARIA FACTI enarratio, per Dn̄. Iohannem Coraſium.

MARTINVS GVERRA, *genere Vaſco, patria Artigatenſis, quum formoſam puellam, nomine Bertrandam Rolſiam in coniugem duxiſſet; in militiam abit, & domo annos octo abeſt. Poſt illud tempus Arnaldus quidam Tillius, ad ipſius Martini (quem ſe eſſe ſimulabat) ſorores, patruum atq; adeo vxorem ipſam accedit: quibus ob maximam amborum ſimilitudinem, & vera indicia quæ de rebus omnibus prodebat, facilè perſuadet ſe eum eſſe quē prædicabat: nempe ipſum verum Martinum Guerram: Ita fit, vt pro Martino à toto etiam populo agnitus, ab ipſa quoq; Bertranda admittatur: cumq; ea tanquam maritus, conſuetudinem per triennium habet, & ex ea duos liberos ſuſcipit. Orta poſtea quadam impoſturæ ſuſpicione, dies illi apud Prætorem Regienſem dicitur, a quo in carcerem coniectus, tandem capite damnatus, ad Senatum Toloſanum prouocat. Eò adductus, iudicio ſe defendit, pergit ſe eum eſſe affirmare, quē antea dixerat, cōfirmantibus id quatuor ſororibus, earumq; maritis, qui veri Martini erant ſororij; ſimulq; triginta aut quadraginta numero*

teſtibus. At verò quum multi contrà extarent, qui partim eum eſſe Arnaldum Tillium aſſeuerabant, partim ambigebant, vt neutrum, propter ſummam illam ſimilitudinem, affirmare poſſent, Senatores non parua difficultate afficiebantur. Quum autem iudices iam in conſilium mittendi eſſent, ipſe Martinus Guerra aduenit. Qui tamen cum adulterino collatus, propemodum conuictus hæret: adeo melius ille impoſtor mendacia ſuafucare callebat, quàm hic veritatem tueri. Ibi iudices, multo quàm dudum incertiores, ſorores & aliquot è teſtium numero accerſunt: à quibus tandem Martinus verè agnoſcitur, & fallacia prorſus innoteſcit. Vnde fertur à Senatu ſententia, vt Tillius laqueo vitam finiat, ſuſpenſi cadauer comburatur: liberi tamen quos Rolſia pepererat, legitimi pronuntiantur. Ipſe dum ſupplicium luiturus eſſet, rem totam aperit & confitetur.

TEXTVS

TEXTVS tum cauſæ, tum ipſius Proceſſus atque ſententiæ, in ſupradicta controuerſia.

Menſe Ianuario, Anno 1559. Bertranda Rolſia Artigatenſis, in diæceſi Regienſi, apud Prætorem Regienſem ſupplici porrecto libello queribunda exponit, ſe, viginti aut circiter abhinc annos, quum puella admodum eſſet, annos nata nouem aut decem, Martino Guerræ, eiuſdem ferme ætatis, nupſiſſe.

ANNOTATIO I.

Huiuſmodi coniugia quæ ante legitimam ætatem vel natura vel legibus conſtituta, contrahuntur, Deo ipſi (ſi quidem eius arcana & inſcrutabilia iudicia veſtigare fas eſt) vix grata eſſe poſſunt. Eorum ſiquidem & euentus ferè infauſtus atque calamitoſus eſt, & [a] coniuges ſubinde poſtea pœnitere, quotidiana exempla oſtendunt. Enimuero qui præcoces & immaturas iſtas coniunctiones conciliant, ij neque vllam diuinæ gloriæ rationem habent, neque ſcopum attendunt cuius cauſa ſacroſanctum hoc vitæ genus ab eo inſtitutum eſt iam inde ab orbe condito [b], quum quidem ipſe primus homo nondum lapſus eſſet: nem-

[a] *Cap. Vlt. tit. De frig. & malef. in Decretal. et cap. Vni. De vot. & Vot. redem. in 6.*

[b] *Geneſ. cap. 1. can. quicquid 32. q. 2. in Decr.*

pe vt terra incolis frequentaretur, genus humanum ſobolis propagatione conſeruaretur *c*: deinde poſt illius peccatum, vt libidinibus diſſolutis obuiam iretur, in quas ſe multi, qui coniuge carent, dant præcipites *d*. Sed totum eorum conſilium in eo fuit, vt ambitione quadam, priuato commodo, aut re quapiam mundana & vana duci ſe paterentur: quibus tamen negotium adeo ſerium, ſanctum & venerandum contaminari ac fœdari æquum non erat. Mitto, quòd ætas illa tam tenera tamque rerum imperita, iudicio minimè valere poteſt, vt ad rem tanti ponderis, aſſenſum vllum præbere poſſit *e*: quum tamen abſque libero conſenſu eam rite peragi non poſſe, omnibus in confeſſo ſit *f*. Tantum porro abeſt, vt viri infra decimumquartum ætatis annum ſe viros ſentiant, & fœminæ infra duodecimum concipiendo ſint idoneæ, vt in ea ætatula vix eis vllus ſuppetere queat ad Venerem ſtimulus, imò ne ante ipſum quidem decimumſextum. ſi quidem Ægyptiis fidem habere libet. Hi enim in ſuis Hieroglyphicis, quum voluptatem ſignificare vellent, ſculpere aut pingere numerum XVI ſolebant: quod in ea demum ætate adoleſcentes facem quandam in corpore ſentire, libidine incendi, & nonnunquam adeo laxiores quàm par ſit, habenas cupiditatis habere incipiant. Nec verò me fugit mihi vetera quędam & vulgata exempla obiici poſſe, de certis quibuſdam impuberibus, quorum vires in prima ætate ita efferbuerint, vt vnus annos

c 1, Cor. 7. &c. nemo, &c. quicquid 32. q. 2.
d C. de fal. mon. l. 1. c. pue. 22. q. 5.
e ff. de rit. nup. l. 2.
f ff. ibid. l. minor. c. 2. et 3. de deſp. impub.

nos nouem natus nutricem grauidam fecerit *g*, alter quum vix decimum attigiſſet, cum hera ſua, quæ eum ſecum iacentem habebat, illius petulantia & laſciua titillatione irritatus rem habuerit, eamque prægnantem *h* reddiderit. Idem de puella quadam fertur, quæ nouennis puerum peperit *i*. A quibus non multum diſtant ea quæ nonnulli regibus Solomoni & Achazo tribuunt, qui (vt quidem illi ſupputatione annorum inita ratiocinantur) ante vndecimum annum filios procrearunt *k*, hic Ezechiam, ille Roboamum *l*. Quid tum verò? Tametſi de illorum vno D. Hieronymus loquens, quò rem certius aſſeueret, Domino teſte (ſic enim ſcribit *m*) ſe non mentiri pronuntiat, reliqui etiam eruditione & fide valde commendantur: eorum tamen autoritas non eſt tanti, vt ad fidem habendam lectores aſtringat *n*. Nam quod ad Solomonem & Achazum ſpectat, non deſunt doctrinæ magnæ viri, qui eorum annos longè alia ratione numerent. Prætetea vt demus hæc vera eſſe, exempla ſunt inſignia & memorabilia illa quidem, ſed adeo rara tamen, vt ex eis nihil inferre debeamus *o*. Iuris porro noſtri diſciplina hac in re, vt & cæteris omnibus, ea tantùm ſectatur, quæ vel videtur vel putatur in vſu frequentiſſimo eſſe *p*. Quinetiam Deus ille Philoſophorum Plato, quum de ætate, maribus & fœminis ad coniugium accommodata, ageret, ſtatuebat, vt ab anno triceſimo ad XXXV mares, fœminæ à XVI ad viceſimum matrimonia inirent *q*: Ariſtote-

g Gloſ. in ſum. 20. q. 1. In an. & Panor. in c. puberes, de deſpon. impub.
h Hieron. in epiſt. ad Vitalem.
i Alberic. in diction. ſuo in verb. Matrimonium.
k Io. An. & Panor. c. fin. de eo qui dux. conſ. vxo. in decretal.
l 3. Reg. ca. 11. & 4. cap. 18.
m Epiſt. ad Vitalem.
n c. cum apoſtolic. de iis quæ fi. à præ. in decret. c. Ego ſolis d. 9. in decret.
o Diſt. 61. c. diſtinguimus, §. fin.
p l. nam ad ea, ff. de leg.
q De rep. lib. 6. & De leg. 6.

les autem eius diſcipulus, illis XXXVI, his XVIII præfiniit r. Qua in re noſtri Legislatores multo prudentius, meo quidem iudicio, animaduerterunt, pleroſque ita natos eſſe, & ad genialem calorem adeo præmaturos, vt niſi vrentem & pungentem libidinem legitima nuptiarum coniunctione domarēt, facilè in beluinos & infandos concubitus laberentur. Quare in nuptiarum vſu longè plus indulſerunt, & tempeſtiuius eas conciliari voluerunt, quàm vel Plato vel Ariſtoteles, vt mares decimoquarto, fœminæ duodecimo coniuges fieri poſſint s: quòd in ea ætate vſu venire experimur, vt virtus gignendi in maribus excitetur, & menſes in fœminis fluant t: vt ſatis robuſtum vtrique ſemen ad procreationem fœtus ſuppetat u. Quanquam XVI anno, aut etiam XVIII natura multo firmiores vires conſequitur. Vnde Iuriſconſulti noſtri plenam iuſtamque pubertatem in anno XVIII ſtatuerunt x, atque illud inſuper tradiderunt, XVII ætatis annum pene infantiam eſſe y. Id quod & veteres Romani in Senatorum, aut alioqui clarorum virorum filiis perſpicuè oſtendebant, qui ab ipſa infantia ad illud ætatis tempus veſtem talarem, quæ Prætexta dicebatur, gerebant, vnà cum aurea bulla è collo dependente: quæ quum cordis imagine eſſet efficta, eos monebat, non aliter viros eſſe habendos, niſi cordati & virtute præditi eſſent z. Hîc ſiquis curioſius indagare cauſam velit, cur fœminæ citius quàm mares ad connubium aptæ ſint, ego cum Ariſtotele reſpondebo.

r *Polit. lib. 7. cap. 16.*

s *l. minorem ff. de rit. nupt. §. 1. de nu. Inſtit. c. puberes, de deſpon. impub.*

t *Ariſt. De nat. anim. lib. 5. cap. 5.*

u *Macrob. in Som. Scipionis. c. 6.*

x *l. arrogato. §. 1. ff. de adop. l. Mela, §. 1. de alim. leg.*

y *l. 1. §. pueritiam ff. de poſtul.*

z *Macrob. Satur. lib. 1. cap. 6.*

ſpondebo, eas in vtero tardius perfici, quippe debiliores & frigidiores: vt nonnunquam decimo demum menſe abſoluantur, quum mares, quibus firmius ineſt robur, vix nonum excedant. Quæ ratio quoque eſt, cur fœminæ natæ citius adoleſcant & ſeneſcant, quàm ipſi mares[a]. Quocirca eandem naturæ illarum conſtitutionem cauſam eſſe putandum eſt, cur illæ mares in prole ſuſcipienda, tempore antecedant: quia nempe citius adoleſcunt & exoleſcunt[b], exemplo ſcilicet cuiuslibet fructus, qui quo minor & gracilior eſt, eo celerius matureſcit.

[a] Ariſt. De gen. anim. lib. 4. cap. 6. De nat. ani. lib. 7. c. 3.
[b] Plin. De nat. hiſt. lib. 7. cap. 3.

TEXTVS

Ac cum eo nouem aut decem annorum tempus tranſegiſſe: vt ex eo matrimonio natus ſit filius nomine Sanxius, qui etiamnum viuit. Ipſum porro Martinum (quoniam iuuenili quadam leuitate triticum patri ſuffuratus fuiſſet) patria relicta, octo annos domo abfuiſſe, quo interim tempore nihil de eo famaacceperit.

ANNOTATIO. II.

Hæc tam diuturna abſentia maritum prima fronte dignũ qui valde culpetur, imò vix dignũ venia oſtendit, vt qui nonnihil occaſionis domeſticæ illi tragœdiæ dediſſe videatur. Quod

ipſe [a] Auguſtinus teſtatur, quum maritum, qui diutius ab vxore, non conſentiente, ſeſe abſtinuerit, ait adulterij occaſionem aliquam præbere: vt illius culpa, ſi ſe parum pudicè gerat, ei tribuenda nonnulla ex parte videatur. Neque verò deſunt, qui dicere illud auſi ſunt, iudicem poſſe meritò vxorem à viro adulterij poſtulatam, crimine liberare, ſi quidem non aliter comperiatur ſeſe proſtituiſſe, quàm vbi per longum temporis interuallum ab illo deſerta fuerit [b]: nec maritum vxori ſcelus hoc, cuius occaſionem attuliſſe videtur [c], exprobrare poſſe [d]. Quin maritus quoque, qui veteri iure cum vxore diuortium facere poterat, quum abſque venia, abnoctaſſet [e], ſi illam repериretur abegiſſe, vnde coacta foris pernoctauerit, dimittere non poteſt: quoniam (ait Iuſtinianus) mali ipſe autor eſt [f]. Hæc verò ſententia ſi vera eſſet, mulieres, quæ licentiam nimis cupidè aucupantur, magnum inde prætextum nactę ſibi viderentur, quamobrem impunè adulteris ſui copiam facerent, quòd maritus diutius abeſſet. Quam licentiam tantum abeſt vt fouere debeamus, vt potius ſententia illa ab omnibus repudianda ſit, vtpote impia & Chriſtiano indigna, tamque barbara, vt ne Ethnicis quidem ipſis æquum viſum ſit, vt mulier cuius vir diu patria abfuiſſet, alteri nuberet, niſi prius de eius morte certior facta eſſet [g]. Cuius rei illuſtre exemplum & ſempiterna dignum memoria caſta Penelope velut in tabula pinxit, quam poſteri intueri poſſint. Ea enim, quandiu

maritus

a Aug. lib. De adul. cōiug. Refertur c. ſi tu abſtines 27. q. 2.

b Pet. Rauē. in ſuo Alphabeto.

c c. ſi tu abſtines, 27. q. 2.

d §. ſi ergo contigerit. & lic. mat. & auiæ in nouel. Iuſti. col. 7.

e l. conſenſu, §. vir quoque, C. de rep.

f d. §. ſi ergo.

g L. vxores, ff. de diuor. l. vxor, & auth. hodie, Cod. de repud. §. ſed etiam, de nup. in nou. Iuſti. col. 4. cap. in præſent. de ſpōſal.

maritus Vlyſſes abſuit (abſuit autem totos viginti annos) neque propinquorum precibus vinci, neque infinitorum iuuenum, qui eam ambiebant, officiis & ſollicitatione eò adduci potuit, vt alteras nuptias iniret.

Penelope poterat bis denos ſalua per annos
Viuere, tam multis fœmina digna procis [h].

[h] *Proper. Eleg. lib. 2.*

Quæ quoniam non ſolùm formæ elegantia ac venuſtate (qua præter ceteras natura eam ornauerat) ſed virtute etiam, ſuauitate & ſimplicitate, omnes in ſui amorem & admirationem rapiebat, à procis vehementer vrgebatur, & tantum non vi adhibita cogebatur. Quos vt cum bona venia à ſe repelleret, rem eouſque differri impetrauit, dum tela, quam in manibus habebat, abſolueretur: quod illi facilè conceſſerunt, rem breuiſſimi temporis eſſe exiſtimantes. At illa ſui Vlyſſis ſemper memor, vt bellos iſtos amatores ſpe fruſtraretur, quod interdiu texuerat, id noctu retexebat. Ita eos duxit & ludificata eſt, dum maritus tandem rediret [i]. Quare eò impietatis venire nefas eſt, vt mulieri, quæ ſe viro abſente proſtituerit, & ab eo rei huius cauſa expulſa, in integrum reſtitui poſtulauerit, adulterium non poſſe meritò exprobari putemus [k]: niſi fortè ipſe adulterium fieri curauerit, ſeque data opera vt hoc fieret, ſubduxerit [l]. Licet enim hoc vxorem crimine non leuet, quæ nulla vnquam de cauſa pudicitiam (quam vita ipſa chariorem habere debet [m]) debet abiicere. marito ta-

[i] *Hom. in 1. Odyſ.*
[k] *c. ſignificaſti, de diuor.*
[l] *l. cum mulier, ff. ſol. mat. c. diſcretionem, de eo qui cog. cõſ. vxo. c. intelleximus, & ibi gl. de adul.*
[m] *L. palam,*

§.1.ff.de rit. nup.c. Agathoſa, 27. q. 2.c.ita ne 32 q.5.

men maculam inuit, & quidem tantam, vt ſupplicio ob lenocinium dignus ſit, nedum vt vxori tantum crimen in iudicio obiicere poſſe videatur *n*. Hîc ſi quis roget, quantum temporis vxor mariti abſentiam ferre debeat (cuius quidẽ vita vel mors in dubio ſit) priuſquam alterum matrimonium contrahat? reſpondebo, hanc quæſtionem obſcuram non fore, ſi in omnibus ea eſſet mens quam in Penelope fuiſſe commemorauimus, aut eadem ſententia quæ fuit Porciæ Catonis filiæ, quæ mulierem negabat caſtam aut pudicam eſſe, quæ iterum nuberet: aut denique cum Didone loquerentur *o*:

n. L. 2. §. ſi publico. l. ſi vxor §.1.ff. de adult.

o Aeneid. lib. 4.

Ille meos primus, qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit: ille habeat ſecum, ſeruetq; ſepulcro.

Verùm quum non omnibus hoc conceſſum ſit, vt ſe contineant, vel tanta virtute carnem laſciuientem coerceant, Deus porro ſua diuina lege, nullam à ſecundo matrimonio arceat, quin cui velit, nubat *p*: ad hanc quæſtionem reſpondebo, etiamſi ius ciuile quodam loco ſatis habuerit, vt mulierem iuberet quinquennij tempus expectare *q*, Iuſtinianum tamen Imperatorem & Romanum Pontificem ſtatuiſſe, vt triginta anni intercedant, niſi quid certi de mariti morte afferatur, antequã alteri nubere liceat *r*. mortis porro famam illi ipſi ita ſatis certam eſſe voluerunt, ſi virum militiæ mortuum eſſe, dux ſub quo ſtipendia fecit, per literas, aut etiam corã ſignificaret *s*, aut ſi oſtenderetur nauim in qua erat,

p 1.Cor.c.7.

q L.vxores ff.de diuo.§. ſed etiam, nouell. Inſt. coll. 4.

r §. quod autem vt lic. mat. et auia nouell. Inſt. col. 7. auth. hodie, C. de repud. c. 2. de ſec. nup.

s L. Vxor, auth. hodie, C. de repud.

rat, depreſſam eſſe[t], ſatis argumenti eſſe quo in aquis eum periiſſe intelligatur: aut denique ſi teſtibus vel ſaltem rumore vbique ſparſo de morte conſtaret[u]. Etenim quamuis ſecundum regulas ordinarias & vulgatas argumentum famæ, vel rumoris non ſit concludens[x], tamen vbi aliud certius & verius habendi facultas non datur (puta quum quiſpiam in remotiſſima regione diu manſerit) huiuſmodi per famam & rumorem probatio valeret[y].

t L. qui duos §. de re. dub.
u Gl. c. quoniam. §. ſi vero, vt lit. non conteſt.
x c. Veniens, 1. de teſt.
y Accurſ. et Barto. in l. ſi quidem C. ſol. matr. & l. 2. §. Si dubitetur. ff. quemad. teſt. aper.

TEXTVS.

Quo tempore exacto, veniſſe ad ſequendam, qui re quidem vera eſſet Arnaldus Tillius, cognomento Panſetta, patria Sagiaſenſis: ſed Martinum Guerram ſe, maritum actricis, diceret.

ANNOTATIO III.

Nouum me hercule genus aſtutiæ & impudentiæ, non valde tamen diſſimile ab argumento primæ Plauti Comœdiæ, in qua Iouem inducit, quum Alcmenam Amphitryonis vxorē deperiret (cuius pudicitiam prece, pretio aut quauis ratione alia expugnari non poſſe videret) ſciret verò Amphitryonem aduerſus Teleboas profectū eſſe, ipſum ſe, forma nempe illius aſſumpta aſſimilaſſe. Et ita nocte quadam, velut bello re-

uerſum,cum Alcmena concubuiſſe. Quæ quum iam ex marito grauida eſſet, à Ioue denuo imprægnatam fuiſſe, atque ita duos eodem partu enixam maſculos,ex marito Iphyclum, ex Ioue Herculem peperiſſe. Hoc autem ex tota Comœdia lepidiſſimum eſt, quòd quum Amphitryo domum rediens, Soſiam ſeruum ad vxorem præmitteret, qui heri aduentum nuntiaret, ille in Mercurium apud ædes incidit, qui illius formam, non ſecus ac Iupiter Amphitryonis, induerat. Ita diu contendunt inter ſeſe illi, vter ſit verus Soſias: ſed Mercurius tandem ſuperior,alterum abigit. Amphitryoni quoque ipſi idem accidit, qui ab vxore parum placidè accipitur,quòd eum impoſtorem eſſe arbitraretur,qui ad ſe ludendam veniſſet. Tandem Blepharo tantæ controuerſiæ arbiter lectus, cùm propter ſummam duorum ſimilitudinem vter verus ſit Amphitryo diiudicare non poſſet: Amphitryo ariolos conſulere inſtituit. Id videns Iupiter, Alcmenæ innocentiam tueri ſtudens, Amphitryoni rem totam indicat, & cum vxore in gratiam reducit a.

a *Plaut. in Amphitr.*

TEXTVS.

Quem non dubium eſſet cùm Martino contubernij familiaritatem in bello iniiſſe, & ita huius conſuetudinis occaſione, multa domeſtica & priuata, tum de eo, tum de vxore expiſcatum fuiſſe.

ANNO-

ANNOTATIO IIII.

Amicitiæ fructus vel potiſſimus & ſuauiſſimus eſt, voluptas illa & ſuauitas, quam quis ex eo percipit, quòd cogitata ſua & mentis abdita in amici ſinum effundere audet: quem tanquam alterum ſeipſum habet. Quid dulcius (inquit Cicero *b*) quàm habere, quicum omnia audeas ſic loqui, vt tecum? à quo nunquam decipiaris? vt habet illud Plauti *c*. *c Lib. de amicit.* *c In Penulo.*

Decipitur nemo, mea quidem ſententia,
Qui ſuis amicis narrat rectè res ſuas.

Vnde rectè Seneca *d*, Nihil æquè oblectauerit animam, quàm amicitia fidelis. Quantum bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum conſcientiam minùs quàm tuam timeas: quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet? *d Seneca De tranq. Vita.*

Hoc ſanè tantum bonum eſt, vt Socrates & Darius negarint omnia totius orbis imperia & opes amico vero, prudenti & fideli exæquari debere. Alexander Magnus quum Troia iter faceret, Achillis ſtatuam coronauit, eumque nulla magis de cauſa fortunatũ iudicauit, quàm quòd Patroclum amicum nactus fuiſſet. Beatum te, inquit, Achilles, qui viuus Patroclo tam integro tamque fido amico vſus *d* fueris: Perfecti quidem certe illi amici, quales accepimus fuiſſe Achillem & Patroclum, Pyladen & Oreſten, Da- *d Plutar. in Alex.*

monem & Pythiam, Theſeum & Pirithoum (quę eſt noſtri ſeculi infœlicitas) hodie nuſquam extant.

e Ouid. li. 2. De Ponto.

e Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.
Diligitur nemo, niſi cui fortuna ſecunda eſt:
Quæ ſimul intonuit, proxima quæq; fugat.

Quin & eorum, in quibus tantulam fiduciam collocare queas, tam exigua eſt copia, vt Phœnix plærunque non ſit rarior. Tantæ enim ſimultates noſtra ætate in amicitiam graſſantur, vt multi ſe nobis coniunctiſſimos eſſe præ ſe ferant, ſeque plus quam noſtros eſſe omnibus argumentis quæ extare videntur, oſtendant: quorum tamen animus perfidioſa proditione totus ſcateat, quo ſunt nobis omni ex parte inimiciſſimi: ac ſub fucato amicitiæ nomine, ſunt nobis infenſiſſimi, & multo quidem periculoſiores iis, qui ſe tales haberi apertè volunt *f*. Quæ enim peſtis maior aut nocentior fingi poteſt hoſte familiari *g*, à quo prius damnum irreparabile accipimus, quàm ſuſpicari quicquam poſſimus, quum ab eo facile nobis poſſimus cauere, qui ſe aduerſarium profitetur *h*? Quare prudentia ſumma opus eſt in deligendo amico, & modius ſalis cum eo antè edendus eſt, id eſt longa conſuetudine explorandus, quàm ei fidas, arcanúue aliquid cõmittas *i*. Ita de cauſa tua, inquit Sapiẽs *k*, diſceptato cum altero, vt arcanum alij non patefacias: ne te dedecoret qui audierit, atque ita irreuocabili inuraris

f diſt. 93. cap. 1.
g Accurſ. in l. 1. in princ. ff. ad Sillan. & l. data C. de donatio.
h Cic. in 3. Ver.
i Ariſt. Eth. lib. 8.
k Prouer. ca. 25.

mutatis infamia. Tribuitur Bianti apophthegma etiam magis reſtrictum, quo iubemur ita amicum diligere, vt aliquando ſimus oſuri [l]. Quod in Mimis publianis ſic poſtea vſurpatum eſt:

[l] Diog. Laer. in vita Biantis.

Ita amicum habeas, poſſe vt fieri inimicum putes.

Quo ſanè dicto, Scipio apud Ciceronem [m] nullam vocem amicitiæ inimiciorem poſſe reperiri ait, nec ſe adduci poſſe, vt à Biante, qui ſapiens habitus eſſet vnus è ſeptem, autore profectum eſſe credat. Quî enim verè eum amare queas, cuius te olim inimicum eſſe poſſe putes? Quanquam, vt cæteræ res humanæ, ſic nec amicitia in omnibus perſonis & temporibus, ad extremum vitæ ſpiritum conſtans eſſe poteſt [n], propterea quòd hominum ſtudia vel rebus ſecundis & aduerſis, vel ingraueſcente ætate mutantur, & ipſæ amicitiæ ex diſſidiis atque contentionibus, aut ex priuato quodam commodo & vtilitate, cui pro ſe quiſque ſtudet, diſſoluuntur. Verùm amicitia diſiuncta, poſtea efferre & exprobrare quæ antea familiariter communicata fuerint, hoc verò illiberale admodum eſt, nec niſi in deplorata ingenia cadere poteſt.

[m] lib. De amicit.

[n] L. eum debere. ff. de ſer. vrb. præd.

TEXTVS.

Qui quidem eo fretus, quod vultus ſimilitudine planè Martinum referret, omne ius amicitiæ violare, & nouum fallendi genus

vſurpare in animum induxerit, ad quatuor illius ſorores, patruum, reliquos conſanguineos, ipſamq́ adeo Rolſiam, omnes deniq; Artigatenſes acceſſerit. Quibus adeo propria & certa indicia, & tanto numero, exhibuerit, vt non modo iis qui à familia erant alieni, verùm etiam propinquis omnibus atq; eidem ipſi vxori viſus ſit is eſſe quem ſe dicebat.

ANNOTATIO V.

Hoc in ſuo genere eſt omnium maximum; maximè prodigioſum & admirabile, omnium quæ in vllis hiſtoriis Græcis aut Latinis tum antiquis tum recentibus extant. In illis ſiquidem certorum hominum exempla occurrunt; quorum tanta erat inter ſe ſimilitudo; vt qui eos conſpiciebant, incerti & dubij hærerent, neque alterum ab altero diſcernere poſſent; imò alterum alterius loco ſumerent. Sæpe etiam talis ſimilitudinis prætextu, accedente fallendi audacia, multi obſcuro & humili loco nati, tam callidè vſi ſunt, vt toti populo perſuaderent, ſe illuſtri quopiam & nobili genere ortos eſſe: quales extiterunt Smerdes, Archelaus, Equitius, Herophilus, atque alij nonnulli, quorum hiſtoria infrà ſuo loco commodius narrabitur. Verùm ſi facti huius omnes circunſtantias æqua trutina examinare libet, reperiemus hoc cæteris omnibus longè admirabilius eſſe. Quippe in nullo illo-

tum

rum tanta deprehendetur ſimilitudo, licet multis figmentis & neceſſariis mendaciis phalerata eſſet, quæ vi tanta fuerit, quanta hoc fuiſſe conſtat, in quo conſanguineis omnibus, quatuor ſororibus, patruo ipſi (qui ab ineunte illum ætate educauerat) verba ſunt data: imò (quod multo magis mireris) vxor ipſa decepta, alterum pro marito admiſit, cum eo ſumma familiaritate cōiugum more, toto triennio egit, quum interim dolum non ſentiret, ac ne ſuſpicaretur quidem: idque eo magis quod mulieres in rebus ſuppoſititiis fere ſunt acutiori & perſpicatiori iudicio quàm viri, præditæ: Cuius rei documento erit Q. Sertorij vxor Romæ, & Ioanna filia comitis Balduini in Flandria; vt à nobis vberius dicetur[a]. Porro quod ad ſimilitudines attinet, quæ aliquando inter homines extiterunt, nonnullæ antiquitus obſeruatæ ſunt, quæ nemini interim fraudi fuerunt, aliæ tamen ad notabiles impoſturas ſtruendas valuere. Ex primo genere olim conſpecti ſunt Romæ Vibianus & Publicius[b]. homines infimo genere nati, qui Pompeium Magnum ità vultu exprimebant, vt Romani eos Pompeios, Pompeium contrà modò Vibianum, modò Publicium appellarent. Par ſimilitudo inter Cornelium Scipionem & ſuarium quendam ſeu (vt alij volunt) victimarium, Serapiònem nomine intercedebat[c]: Itidem inter Hibream Mileſium, clariſſimum oratorem & ſeruum quendam, cuius nomen non refertur: vt Aſiatici omnes ſibi planè perſuaderent eos fra-

a Annot. 81.

b Plin. lib. 7. cap. 12. Solin. Polyhiſt. cap. 5.

c Val. Max. lib. 9. cap. 15. Plin. & Solin. vbi ſup.

tres eſſe M. Antonio Triumuiro, Thoranius quidam duos adoleſcentes, ob maximam ſimilitudinem, pro geminis vendidit, licet alter in Aſia, alter in Gallia natus eſſet. Quod vbi ille reſciuit, ob magnitudinem pretij (eos enim trecentis ſeſtertiis, hoc eſt ter millenis ſeptingentis quinquaginta coronatis, emerat) principio cœpit indignari. Cui Thoranius oſtendere cœpit, quod ægrè ferre videbatur, id eſſe quod tanto pretio dignum iudicari deberet. Si enim gemini fuiſſent, nihil tantæ admirationi habendum, quum ex iiſdem procreati, & ſub eodem ſydere editi eſſent. Nunc quum aliis atque aliis parentibus, locis tanto interuallo diſiunctis, hic in Aſia, ille in Europa nati eſſent, id verò prodigij inſtar meritò videri debere. Hac oratione M. Antonio ita ſatis factum eſt, vt dicere poſtea ſoleret, nihil eſſe in ſuis facultatibus quas poſſidebat maximas, quod æquè ac duos illos adoleſcentes charum haberet. *d* Fuit olim in Sicilia piſcator quidam, Suræ, tum illic proconſuli adeo ſimilis, vt non ſolùm corporis forma, ſed etiam ſermone ipſo pares eſſent, ambo quippe balbi. Cui Sura per iocum aliquando mirari ſe dixit, vnde tanta ſimilitudo exiſteret, quum pater meus, inquit, nunquam in hanc prouinciam venerit. Quibus verbis quum oblique hominis matrem videretur perſtringere, ille non inſcitè reſpondit, non eſſe cur tantopere miraretur: patrem enim ſuum crebrò Romam itaſſe, par pari illi referens, & in

d Plin. et Solin. locis citatis.

illius matrem coniiciens, quod de ſua ab eo dictum acceperat. *e* Sebaſtianus Munſterus refert, poſt tertiam Burgundionum cladem, qua ipſi ab Heluetiis deleti, & Carolus eorum dux interfectus eſt, (id autem accidit anno fere 1477) venit quidam Bruxellas tam prope ad Caroli ſimilitudinem accedens, vt eum populus ſeriò affirmaret eſſe, quem omnes pro mortuo haberent, quum interim ille rem cõſtanter inficiaretur. *f* Franciſc⁹ Sfortia, dux Mediolanenſis inter ſuos iuuenem militem habebat ſui ſimillimum, vt à commilitonibus paſſim ob eam cauſam iunior princeps appellaretur: ipſe quoque dux ſe frequenter illo intuendo, tãquam ſpeculo quodam oblectaretur, in quo ſuam ipſius imaginem, oris & corporis habitum, ac vocem quoque ſuam agnoſcebat. Idem dux eodem tempore ſcurram apud ſe habebat Marcheſinum, qui Sigiſmundum Malateſtam ducis generum, quòd ſibi perſimilis eſſet, filium ſolebat appellare. Quæ res tanto pudori erat ipſi Malateſtæ, vt quoties Mediolanum ad ſocerum proficiſci vellet, eum per nuntium rogaret, vt Marcheſinus alio ablegaretur. *g* Cæterùm de aliis ſimilitudinibus, quarum ſecundum genus fecimus, quæ occaſionem inſignis cuiuſpiam fallaciæ, aut magnas res ſuſcipiendi, præbuerunt aliàs loco aptiori, Deo dante, agemus. *h* Hîc verò cupiet aliquis ſcrutari & intelligere, quidnam cauſæ ſit, cur homines diuerſis progenitoribus & locis maximè diſſitis orti, tantam inter ſe ge-

e Plin. Solin. et Val. Max. ibid.

f Munſter. Coſm. lib. 2.

g Baptiſta Compoſulg. Memorabilium lib. 9. cap. 15.

h Annot. 81.

ſtant ſimilitudinem, tum vultu, tum toto corpore, vt non facilè inter ſe dinoſcantur. Is ergo ſic habeat velim, primùm tantæ rei cauſam ad æterni naturæ autoris infinitam ſapiẽtiam (cum eo honore & reuerentia qua dignus eſt) referendam eſſe: qui neque hominum ſtirpibus aut cognationibus, neque regionibus, neque voluntatibus ſeſe aſtringit, ſed pro incomprehenſibili ſua prouidẽtia, arcanis, altis & ab omni humana mente remotis iudiciis, ſuas quibuſque rebus ideas & formas tribuit. Deinde illud tamen fere vſu venire perſpicimus, vt harum ſimilitudinum nonnihil intra cognationum genera cõſiſtat. Enimuero vnumquodque animal non modò ſibi ſimile gignit, ſed aliquid propriæ & natiuæ virtutis impertit.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Pregenerant aquilæ columbam [i].

i Hora. Car. lib. 3.

Vt in poſteris nonnunquam conſpiciantur modò nerui, modò cicatrices, modò alia quæpiam à maioribus ſigna. Quale illud eſt quod de Lepidis Romanis narratur, inter quos ex eadem domo tres extiterunt, qui alterum ex oculis pellicula tectum gerebant. Item de Nicea Byzantino, qui Mauri inſtar niger prodiit, auo quàm matri ſimilior, quæ candida & formoſa, ex adulterio tamen ab Æthiope genita fuerat. [k] Sed tamen non eſt tanta in natura & proſapia virtus, quin

k Plin. lib. 7. cap. 12.

quin ſubinde animaduertamus poſteros degeneres, maioribus admodũ eſſe diſſimiles: vt ex formoſis deformes, ex robuſtis imbecilles, ex probis & honeſtis improbos & ſceleratos oriri contingat. *l* Alioqui ſane, niſi hoc ita ſe frequenter haberet, Reipublicæ referret, lege rata & immutabili, deformibus, imbecillibus & ſceleſtis matrimonio & mulierum congreſſu prorſus interdici, vt omnes hac ratione formoſi, robuſti & probi naſcerentur. Qua profectò in re Alexander Aphrodiſæus magno ſe labore conficit, dum cauſam conatur inueſtigare & tradere, cur non rarò contingat, vt craſſus quiſpiam, tardus ac propemodum hebes, liberos gignat ſolertes, prudentes & acutos. Cuius rei cauſam hanc tandem ſtatuit, quòd qui tardiore eſt ingenio, is in ipſo coitu ita ſe totum præſenti voluptati percipiendæ addicit, vt nihil aliud animo cogitet, quem totum corpori immerſum detinet. Itaque ex eo corpore ductum & hauſtum ſemen, cui ſpiritus admixti ſunt, multum habet ipſius facultatis intelligendi: quo fit vt liberi naſcantur ipſo patre prudentiores. E diuerſo, qui ingenio ſunt acuto, aut etiam eruditione præſtant, quia eorũ animus in perpetua quadam cogitatione verſatur, in ipſo venereo complexu alias res agunt. Quare ſemen quod tunc profluit, quum nihil niſi corporeum habeat (animo nempe tum peregrinante) non multum illius præſtantiſſimæ facultatis habet. *m* Quæ cauſa multorum iudicio fuit, quamobrem Ariſtarchus Alexandrinus,

l Plut. De plac. philoſ. lib. 5 ca. 12.

m Alex. Aphrod. Prob. li. 2.

ſummæ vir eruditionis, Ariſtagoram & Ariſtarchum filios habuerit ſtolidos, bardos & propemodum amentes. *n* Hanc ſententiam confirmat locus quidam inſignis Spartiani: cuius verba ſi proferam, non erit, opinor, Lectori ingratum. Sic igitur ille ad Imp. Diocletianum ſcribit: Conſtat Auguſte neminem propè magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquiſſe. Denique aut ſine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere, & vt ordiamur à Romulo: hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius quod vtile poſſet eſſe Reipublicæ. Quid Camillus, num ſui ſimileis liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam verò quid de Homero, Demoſthene, Vergilio, Criſpo, Terentio, Plauto, cæteriſque aliis loquar? Quid de Cæſare? Quid de Tullio, cui ſoli melius fuerat liberos non habere? Quid de Auguſto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus? Falſus eſt etiam ipſe Traianus in ſuo municipe ac nepote deligendo. Sed ad genitos veniamus. Quid Marco felicius fuiſſet, ſi Commodum non reliquiſſet hæredem? Quid Seuero ſeptimo, ſi Baſſianum non genuiſſet? Verùm vt ad rem redeamus, ac ſimilitudinum cauſas indagemus, mihi non diſplicet Empedoclis & Phyſicorum opinio, qui id putant accidere poſſe ex imaginatione quadam, quæ animo mulieris in ipſo concipiendi articulo oc-

n Petrus Crinit. Honeſt. diſcip. li. 21. cap. 9.

lo occurrit, cui tantum eſt virium in eum fœtum qui effigiatur, vt ipſius rei character quaſi inuſtus perpetuo hæreat.[o] Qua ex cauſa ſæpius olim accidit vt pueri picturis euaderent ſimiles, quas matres in deliciis apud ſe habebant.[p] Id quod ita habere teſtatur illa, quæ quum Æthiopis effigiem quæ ad lectum erat, in concipiendo fœtu attentius intueretur, partum eodem colore edidit. Narrat alicubi D. Hieronymus[q] diformem quandam mulierem, quæ maritum itidem pari forma iniucundum habebat, filium elegantem peperiſſe. Quæ quum ob eam cauſam adulterij nomine vehementer eſſet ſuſpecta, ab ipſa tamen culpa abeſſe deprehenſa eſt conſilio & ſapientia præſtantiſſimi illius medici Hippocratis. Is enim iuſſit perquiri num in cubiculo extaret inſignis quædam pictura, puero recens edito ſimilis: atque ea reperta, mulierem ipſa etiam flagitij ſuſpicione liberauit. Philoſophorum libri id paſſim docent, quæ mulieribus, dum in ſemine concipiendo occupantur, ob oculos verſantur, in iis magnam eſſe vim ad formam fœtui imprimendam. Qui igitur ſigna & tabulas libenter apud ſe habent, videãt ne inelegantes, difformes aut monſtroſas vllas patiantur collocari, vt huiuſmodi malis obuiam eatur. Nemini obſcurum eſſe credo quid Iacobus hac in re excogitarit: qui cum Labane ſocero pactus, vt pecudes ex toto grege maculoſæ & verſicolores ſibi pro mercede adiudicarentur, virgas virentes è diuerſis arboribus delibrauit.

o Accurſ. l. quæret aliquis, ff. de verb. ſig. & l. non ſunt liberi, ff. de ſta. ho.

p Plutar. De plac. philoſ. lib. 5. ca. 12.

q Quæſt. in Geneſ.

eaſque cum corticibus in canalibus aquariorum poſitas ouibus & capris obiiciebat, quæ illis conſpiciendis, fœtus pari colorum varietate diſtinctos edebant.[r] Non deſunt qui affirment mulierem quandam Carolo IIII. Imperatore, quia in concipiendo imaginem D. Ioannis Baptiſtæ fixo obtutu aſpexiſſet (qui pellibus indutus pingitur) filiam hirſutam inſtar vrſi peperiſſe. Lodoicus Viues ſingularis vir eruditionis & in omnibus diſciplinis verſatus, Margaretam Maximiliani Imperatoris filiam, ſcribit aliquãdo narraſſe Ioanni Lainuſæo, homini docto, & Ferdinandi Vngariæ Regis Oratori, quemadmodum in Brabantiæ oppido, quod Boſcunducis appellant, quum in ſupplicatione publica cuidam ex Diuorum numero conſtituta, nonnulli in ea pompa, (vt ex veterum ceremoniarum traditione fieri ſolet) Angelorum, alij Cacodæmonum ornatu incederent, vnus ex iſtis perſonatis poſtquam diu laſciuiiſſet & tripudiaſſet, domum ſtatim pruritu percitus excurrens, vxorem corripuerit, atque in lectum coniectam, velle ſe cacodæmone imprægnare dixerit, quod etiam perfecit. Filium ſiquidem procreauit, infœlici genio ſimilem. qui ſimulac natus eſſet, exilire & curſitare cœpit.[s] Quòd ſi, quæ à nobis commemorata ſunt, Lectori nondum ſatisfaciunt, & amplius quærendum putet, quamobrem impreſſionum illæ in conceptu varietates hominum propriæ ſint, non aliis itidem animantibus communes: mihi idoneum reſponſum daturus videor,

r *Geneſ. c. 30*

s *Ludouic. Viues in 12. lib. Aug. De ciuit. Dei.*

deor, ſi cum Plinio dixero, cogitationum velocitate, ingeniorum celeritate, & ſpirituum varietate fieri, vt diuerſis formis & notis ſignentur, quum in cæteris in ſuo quibuſque genere animi comprehenſiones ſint vniformes. Ex quo effici, vt quum non tam numeroſas habeāt imaginationes & formas animo obuerſantes, fœtus ſibi perpetuo ſimiles producant.

t Quin etiam ex eadem cauſa conſequi, vt homines quoque, quia in ipſo Venereæ titillationis articulo, vnam fere voluptatem, qua perfundūtur, in animo habent, ſui ſimiles liberos, non rarò gignant. Vnde iuris noſtri quidam interpretes reſponſum eliciunt, *u* quo veterem illam quæſtionem decidant, Si mulier defuncto marito, alteri ſtatim nupta, nono poſtea menſe pariat, vtri ſit tribuendus partus? Tametſi enim multi primo eum adiudicant, *x* quum præſertim ſecūdus alioqui culpandus ſit, quòd nimia feſtinatione alterius viduam duxerit: *y* alij ſecundo malunt tribui, partim quia diutius agrum ipſum coluit, id eſt, rem cum ea habuit, *z* vt hunc partum ederet, partim quia in eius domo & matrimonio conſtante natus eſt: *a* Alij contra ad vtrumque pertinere contendunt, quomodo Lex nonnunquam vnum eundemque ſeruum (qui vno tempore vnius tantúm domini neceſſariò eſt) duorum ſimul dominorum, & vtriuſq; in ſolidum eſſe iudicat: *b* neque deſunt qui propter ſanguinis & ſeminis commixtionem *c* neutrius eſſe ſtatuunt; *d* Tamē nonnulli ob eam

t Plin. lib. 7. cap. 12.

u Bar. Bal. & alij, in l. Gallus, ff. de lib. & poſt.

x qui prior, de reg. iur. in 6.

y L. 2. verſ. ſi quis tamē ff. ſi quis cautio.

z L. Titia. ff. de ſolut.

a L. filium, ff. de iis qui ſunt ſui.

b L. duo ſocij, ff. de hæred. inſtit.

c L. liberorū §. 1. ff. de iis qui not. infam.

d L. 1. c. quo. bone,

e L. quòd ſi nolit, §. qui mancipia, & ibi Accurſ. ff. de aedil. edic.
f De ſemine lib. 2.

quam dixi cauſam, in ea ſunt hæreſi, prudenter videndum eſſe, vtri maritorum ſimilior ſit *e* propterea quòd fere fit (quod etiam celeberrimus medicus Galenus oſtendit) *f* vt liberi parentes ſuos formæ propinquitate referant. Neque verò me latet pleroſque in ea eſſe ſententia, vt ſpurij & illegitimi eius potius ſimilitudinem exprimant, qui pater eſſe putatur, id eſt mariti: id adeo, inquiunt, quia mulier quum ab adultero comprimitur, de marito ſemper cogitat, cuius reditum metuit: *g* ipſæ porro imaginationes (vt antea demonſtrauimus) ad conferendam fœtui formam qui tum concipitur, magnam vim obtinent. *h* Quanquam poteſt facilè quilibet diuerſum ſtatuere, tum experientia ipſa rerum magiſtra edoctus, tum grauium teſtium & Doctorum autoritate confirmatus: velut Phocylidis Græci Poetæ qui ait:

g Iac. Butr. in l. fin. C. de Carb. edic.
h Accurſ. in l. quaeret. ff. de Verb. ſig.

Non faciunt ſimiles ſtuprata cubilia natos.

Quocirca Horatius, quum Auguſtum Imperatorem laudaret, qui ſumma ſeueritate adulterium repreſſiſſet, inter cætera ait effeciſſe vt continentiæ caſtitatiſque deinceps maius eſſet ſtudium, ac matronæ ſobolem parentibus ſimilem procrearent.

i Carm. lib. 4. od. 5.

i Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas,
Laudantur ſimili prole puerperæ.
Culpam pœna premit comes.

Acce-

Accedit huc, quòd videmus ſpurios vero & naturali patri non corpore duntaxat, vultu & lineamentis, ſed moribus etiam atque ingenio ſimiles euadere[k]. Ac ne illud quidem profectò valde veriſimile eſt, adulteram in ipſo voluptatis & conceptionis tempore, magis de viro abſente cogitare, quàm de præſente adultero, quē in cōplexu tenet, in quo tum corpore tum animo tota hæret, vt in eum coniectos oculos habeat, eumque continenter impura laſciuia & omni blanditiarum genere delinere ſtudet. Si deniq; cauſam placet inquirere, cur aliàs patri, aliàs matri proles ſit ſimilior cum philoſopho[l] dicam, ſi viri maior vis fuerit, ſimilem illi partum fore: contra ſi fœminæ ſemen exuperet, eius ſimulacrum & formam partum accepturum: ſin verò æquales ambo vires contulerint, vtriuſque ſimilem fore, diuerſis tamen corporis partibus & locis. A qua ſententia non longè aberat Anaxagoras, ſimilem ei fore prolem dicens, qui plus ſeminis profuderit.

[k] *L. ſuperſtatu, C. de quaſtio. c. ſi gens diſt. 56.*

[l] *Ariſt. De Gener. animal.*

TEXTVS.

Vt mirandum minime fuerit, ſi ipſa, quum incredibili cupiditate videndi & recuperandi mariti duceretur.

ANNOTATIO V.

Caſtæ ac pudicæ matronæ, cui maritus charus ſit, nihil accidit quod pluris faciat, quàm

vt eum coram habeat, nihil tam moleſtum & luctuoſum, quàm ſi domo diu abſit. Hoc teſtantur querelæ & deſideria cum ægritudine coniuncta, quæ apud Ouid. extant, cum a Penelopes (quam verum pudicitiæ exemplũ & ſpeculũ ſtatuere licet) de ſuo Vlyſſe, Hermiones de Oreſte, Deianiræ de Hercule, tum verò Hippodamiæ de ſuo Proteſilao. Cuius abſentiã tanta lamentatione proſecuta eſt, vt quum audiiſſet eum ab Hectore interemptum eſſe, in furorem præ impatientia corruerit, & vitæ pertæſa, hanc ſibi à Diis immortalibus doloris leuationem dari petierit, vt amatoris mortui animam videre liceret. Quod quum obtinuiſſet, in ipſius vmbræ complexu animam ipſa efflauit. Neque profectò dubitandum eſt, quin ſumma eius qui amat cupiditas ſit, vt rem amatam in conſpectu habeat, ob ſingularem voluptatem qua ex illius conſpectu afficitur, Vnde Græcis amor ἔρως dictus eſt, quaſi ὅρως, propterea, quòd ex aſpectu oritur & alitur amor: quemadmodum canit Propertius, b

a In epiſt.

b Eleg. lib. 2.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

c Satyra 4.

Itaque Iuuenalis c prodigij loco habet, vt qui cæcus eſt, amore capiatur. Martialis quoque Codrum exagitat, qui quum oculis careret, tamen in cuiuſdam mulieris amorem vehementer exarſit.

Plus credit nemo quàm tota Codrus in vrbe,
Quum ſit tam pauper, quomodo cæcus amat?

TEXTVS.

TEXTVS.

Et Tillius multa ſingularia indicia proferret, de rebus & verbis quæ occulta inter coniuges intercedunt, quæ aliis vix nota eſſe poſſunt, & quidem eouſq;, vt locum, tempora & articulos exprimeret, quibus occultiſsima quæque ab eis fieri conſueuerunt (quæq; facilius eſt intelligere quàm honeſtum referre) verba quoq; rem ipſam vel antegreſſa vel ſubſecuta commemoraret: ipſa etiam non minus quàm reliqui, ſibi perſuaſiſſet ipſum reuera Martinum Guerram eſſe.

ANNOTATIO VI.

Prudentius ſe geſſerunt Q. Sertorij vxor Romæ, & Ioanna comitis Flandriæ Balduini filia. Quum enim is qui ſe Q. Sertorij filium affirmabat, & Romæ, tanquam ille eſſet, à multis ſtiparetur, eius vxorem vel matrem acceſſiſſet, indiciaque aliquot familiaria admodum, occulta tamen & vera ederet: ſola contra omnium ſententiam, conſtantia magna & pertinacia pernegabat eſſe ſuum, & Q. Sertorij filium, atque hominis dolum, fallaciam temeritatemque patefecit.[a] Eodem modo, quum poſt mortem Balduini Flandriæ comitis & Imperatoris Conſtantinopolitani, qui in Græcia interemptus fuerat, quidam in Flandria prodiret, qui ſe Balduinum

[a] Valer. Max. lib. 9. cap. 16.

profitebatur, licet ob ſimilitudinem maximam & notas quas magno numero proferebat, adeo ſibi multitudinis animos conciliaſſet, iam à Flandris pro vero principe haberetur: tamen Ioanna filia, quæ mortuo patre rerum gubernacula acceperat, neque pro patre, neque pro comite eum agnoſcere vnquam voluit. Verùm quum fraudem ſubeſſe ſuſpicaretur, Regis Ludouici VIII opem implorauit, qua ratione dolus innotuit. b

b Paulus Aemilius.

TEXTVS.

Ita factum eſſe, vt Tillius ipſa actricis perſona primùm potitus, eam per triennium & eo amplius, pro vxore familiari conuictu habuerit: deinde omnia Martini bona occupauerit, quæ tum Artigati poſſederat, tum Andææ, in finibus Cantabrorum, vnde Martinus ipſe oriundus erat.

ANNOTATIO VIII.

Romæ olim Trebellius Calca ſe Clodij filium profeſſus, proque eo fere ab omnibus habitus, ac populo gratioſus, Clodij bona occupare iure adeundæ hæreditatis conabatur. Quumque ab hæredibus teſtamento conſtitutis, prohiberetur, tanta fuit petulantia & temeritate vt eos in ius vocaret. Ad extremum tamen iudicio Centumuirorum cauſa inferior diſceſſit. a Quidam

a Val. Max. lib. 9. ca. 16.

dam inſuper, cuius nomen tacetur, qui ſe Cn. Aſſidionis filium mentiebatur, parum abfuit quin Corn. Syllæ tempore verum hæredem patrimonio expelleret. Ita enim fallaciam ſuam concinnauerat, vt ſecundum eum à iudicibus pronunciaretur. Verùm Auguſtus Cæſar princeps incomparabili ingenio, prudentia & fœlicitate, dolo per ſummam ſolertiam patefacto, bona vero hæredi reſtitui iuſſit, veterator ipſe in carcere obiit. *b* Eodem tempore Mediolani prædiues quædam matrona Rubria nomine, infauſto caſu ſe concremauerat. Poſt cuius mortem quum hæredes bona iam magna ex parte vendiſſent, prodiit quædam quæ ſe Rubriam affirmans, in integrum vt reſtitueretur, poſtulabat. Ac ei quidem cùm alij multi, ſimilitudine, quæ maxima erat corporis & morum, decepti, tum Auguſti milites ſuffragabantur. Sed ſingularis celeberrimi & generoſi Imperatoris prudentia quò minus res perficeretur, impediit. *c*

b Ibidem.

c Ibidem.

TEXTVS

Quæ quidem bona ipſe multis emptoribus vendiderit.

ANNOTATIO IX.

Hinc controuerſia in poſterum oriri poterit, vtrum verus ille maritus qui poſtea venit, retractare poterit talem bonorum alienationem, ne-

que prædia modo, ſed etiam fructus quos inde emptores à contractus tempore perceperint, repetere. Ad cuius quæſtionis deciſionem hoc ſtatuendum eſt, licere cuique liberè non ſolùm rem ſuam vendere, cuius dominium & poſſeſſio penes eum ſit, ſed etiam rem alienam diſtrahere, eſſeque veram hanc emptionem & venditionem,[a] in eo quidem quod venditoris damnum ſpectat, qui huiuſmodi contractu tenetur vel rem venditam exhibere, vel ſoluere quanti intereſt, inſuper etiam autoritatem indemnitatemque emptori præſtare,[b] ſi quidem res ab aliquo tertio vindicetur. Quod autem ad verum rei diſtractæ dominum attinet, nulla eſt tanta huiuſmodi contractus vis, vt ei fraudi damnóue eſſe poſſit.[c] Nam quod noſtrum eſt, nolentibus nobis adimi non poteſt.[d] Iniquum enim profecto & ab omni iure alienum fuerit, ſi quis me inuito meum teneat & poſſideat. Adde, quod nec traditione cuiuſpiam rei, nec vlla conuentione, ſiue ea fiat diſpoſitione teſtamentaria,[f] donatione, venditione, ſiue alia quauis cõtractus ratione, plus iuris transferri poteſt, quam habuit is qui eam tradidit.[g] Quocirca vt ad noſtrum argumentum redeamus, ſic habendum eſt, contractus omnes ab impoſtore iſto Tillio factos, Martino nocere non poſſe, qui ſine vlla dubitatione ab emptorib. prædia recuperabit.[h] Nam fructus ipſi certè penes emptores erunt, modo eos bona fide & emiſſe & poſſediſſe conſtet, id eſt, vt Tillium illum venditorem, Marti-

num

a L. rem alienam ff. de contrah. empt.
b L. ex empto. in prin. ff. de act. empt.
c L. fin. & ibi Bald. C. ſi res ali. pig. da. ſit. Accurſ. in l. ſi ſine, C. ad Vell.
d L. id quod noſtrum. ff. de reg. iur.
f L. ſi. filio, §. 1. ff. ſol. ma.
g L. heredẽ, l. nemo plus, ff. de reg. iu.
h L. 2. C. de vſucap. pro emp. l. ſi filius C. de dona l. rem alienam.

num eſſe tantiſper crediderint. Id quo planiùs intelligatur, ſciendum eſt, quòd ex bona fide eius qui emit aut alia ratione contrahit cum eo qui vulgo credebatur verus rei poſſeſſor, duo oriuntur notatu digniſſima. Primum eſt, quòd qui rem titulo emptionis aut alio, bona fide poſſedit, fructus rei percepturus eſt, quamdiu ea fide tenebit, vt qui hac quidem in re veri domini locum obtineat, & nomen præferat.[i] Alterum eſt, quòd tamdiu eam cum illa fide poſſidere poterit, vt ſucceſſu tandem temporis præſcripturus ſit, id eſt diuturno vſu proprium iuſtum rei dominium conſecuturus, nec vllo pacto ea ceſſurus.[k] Niſi fortè ille venditionis contractus fuerit de bonis pupilli,[l] aut contra legis vel teſtatoris prohibitionem:[m] Tum enim emptor quantumuis bonæ fidei videatur, & tantæ probitatis, quanta vel in Scipione Naſica extitit, nulla præſcriptione aut longiſſima poſſeſſione rem ſibi vindicabit.[n] Porro in noſtro iure is bonæ fidei poſſeſſor dicitur, vel ab eo qui quem pro rei domino habet, vel eius procuratore, tutore aut curatore titulum habet.[o]

i L. bona fidei, ff. de acq. rer. dom:
k L: ſi fur. §. 1. ff. de vſucap:
l d. bona fidei:
m L. 2. C. de vſucap. pro emp.
n d. l. 2:
o L. quecunque. §. ult. ff. de public. l. bona fidei ff: de verb. ſig:

TEXTVS.

Quo in errore dicta Rolſia Supplicans triennio & eo amplius, verſata fuerit:

ANNOTATIO. X.

Magna fuit profectò adulteri iſtius aſtutia, qui hanc mulierem tanto temporis ſpatio in

illo errore detinuerit, vt ſe eius vxorem eſſe perſuaſum haberet. Sed quoniam vbi error interuenit, ibi negamus conſenſum aut voluntatē intercedere,[a] & maleficia nō niſi deſtinatâ voluntate & peccandi propoſito fieri ſtatuimus,[b] in primis verò adulteriū, aut quoduis ſtupri genus,[c] hæc mulier (vt fuſius à nobis loco magis opportuno dicetur) iſtius erroris, cauſa excuſationem aliquam meretur. Quod Alexander III Pontifex diſertè videtur decidiſſe, & ſtatuiſſe.[d] Sic enim tum Pontifices, tum Imperatores, mulierē, quæ ſecundum matrimonium contrahit, excuſant, quæ maritum ſuum cum vulgo putauit mortuum,[e] maximè ſi ille amplius quatuor annis, idque militiæ, domo abfuerit. Ita virginem quoque excuſant, quæ coniugato nubit, quem cœlibē eſſe credidit:[f] maritum itidem, qui cum vxoris ſorore, quam in lecto offendit, & vxorem eſſe arbitratur, rem habuit.[l] Quinetiam Lotus nullas luit pœnas, qui cum ambabus filiabus, quę furtim eius lectū ſubierant, vxorem ſecum iacere exiſtimans, concubuit.[g] neq; item Iacobus qui Leam compreſſit, quam Rachelem eſſe putabat.

a L. ſi per errorem, ff. de iuriſd. l. ſed hoc ita, ff. de aq. pl.

b l. Verū, ff. de fur.

c l. miles, §. penul. & l. penul. ff. de adul.

d c. 1. de eo qui dux. in mat.

e l. Vxor, C. de repud. cū per bellicā 34. q. 1.

f c. ſi Virgo, 34. q. 1.

l c. 1, §. quod autem 39. q. 1. C. in lectū 34. q. 1.

g Geneſ. c. 19. & c. 30.

TEXTVS

Quo quidem tempore ſimul habitaſſe, coniugatorum more, menſa, conuictu & lecto communi: vt ex ea conſuetudine duo liberi prodierint, quorum alter mortuus eſſet.

ANNOTATIO XI.

Dubi-

Dubitauerit hîc quiſpiam, num liberi illi legitimi ſint? Ac de ea quidem re, in vtramque partem pluribus diſputari poteſt. Nos verò vt breuiter totum expediamus, neque nodum in ſcirpo quæramus, id extra dubium omnino ponimus, legitimos illos eſſe, idque propter bonam matris fidem, quæ ſibi cum vero marito rem eſſe, exiſtimauit. a Qua etiam ratione ſi qua mulier ſacerdoti nuberet, quem tamen matrimonio contrahendo idoneum eſſe crederet, liberi ex eo connubio procreati legitimi haberentur. b Vt enim ſpurij & illegitimi reddantur, vtrumque contrahentium, fraudis & obſtaculi gnarum eſſe oportet. c Præterea in rebus dubiis, lex vult & ſtatuit, vt interpretatio in meliorem partem fiat, ita vt legitimi habeantur, d quos etiam nonnulla ſuſpicio eſt, ex illicito congreſſu natos eſſe. e Quanquam ſi quid fidei Interpretibus libet adiungere, quod ex iuris Pontificij placitis planum eſſe videtur, id iure Cæſareo in dubium reuocari poterit. Sic enim Imperator ſcriptum reliquit: f Si qua mulier ſeruo nupſerit, liberum eſſe credens, qui poſtea ſeruus iudicatus ſit, dotem reſtitui debere illam quidē, ſed liberos ſpurios & illegitimos fore. g Alio inſuper loco Imperatores Valentinus, Theodoſius & Arcadius ſtatuunt vt qui contra legum præcepta nuptias contraxerint, liquido oſtendant ſe in errore non ſimplici quolibet, ſed acerrimo nō affectato ſimulatóue cōſtitutos fuiſſe. h Quibus verbis innuunt, ignorantiam affectatā,

a c.2. c. referente, c. ex tenore, qui fil. ſint leg. gl. c. 1. de eo qui duxit in matr. Glo. cle. 1. de conſan. et affin.

b B. tl. l. qui contra, C. de inc. nup. Ang. Are. in §. ſi aduerſus, de nup. Panor in c. 2. & d. c. ex tenore.

c c. cum inhibitio. §. fin. & ibi gl. de cland. deſpon.

d l. miles, §. defuncto ff. de adul. l. in libere, ff. de rit. nup.

e d. §. defuncto.

f L. 3. ff. ſol. mat.

g L. qui contra §. 1. C. de inceſt. nup.

h d. l. qui cōtra, ad fi.

aut leui de cauſa natam (qualis fortè in hoc facto eſſe poteſt) non ſatis fore ad excuſationem afferendam. Quin & illud addunt, dum modo errore comperto, coniunctionem huiuſmodi ſine vlla procraſtinatione diremerint. Id quod non eſt hîc factum. Ego verò ſemper ſic ſenſi, nihil inter ius Cæſareum & pontificium in hoc quidem facto diſſidij eſſe. Antoninus enim [i] caſum ſingularem proponit, quum mulier ſeruum duxit; cum quo omnibus conſtat nullum iuſtum matrimonium contrahi poſſe. [k] Conſtitutio autem Valentini [l] de liberis non agit, legitimi an ſpurij cenſendi ſint: tantùm pœnam iis infligit, qui nuptias contra legum præcepta & prohibitiones contraxerint. Quod & Accurſius animaduertit. [m]

i d. l. 3.

k L. 3. de inceſt. nup.

l d. l. qui contra, §. 1.

m Accurſ. d. §. 1. d. l. qui contra.

TEXTVS.

Se tandem certiorem factam, de prodigioſo dolo & inaudita impoſtura, qua ille vſus fuerat, ſibi nomen & perſonam Martini Guerræ mariti ſumens.

ANNOTATIO XII.

Quum nomina dandi & imponendi, ea fuerit cauſa, vt homines agnoſcerentur & ab aliis diſcernentur, [a] licet cuiuis ſuo arbitratu nomen quodlibet ſumere, atque illud identidem poſtea mutare, modò dolus malus nullus ſubſit, neue huiuſmodi mutatio vt alteri fraus fiat, aut damnum

a L. ad recognoſcendos, C. de ing. & manu. §. ſi quis in nomine. de legat.

mnum inferatur, comparata ſit.[b] Alioqui enim ſi ad alterum decipiendum, aut iniuria afficiendum hoc ſuſcipiatur, crimen falſi fuerit,[c] morte ciuili ſaltem puniendum.[d] Quod ad ſuppoſitas perſonas attinet, nihil certi poteſt tradi: quum apud veteres interdum pœnam impoſitam habuerit, aliàs impune facta fuerit, pœnæ porro nunc acriores, nunc leuiores extiterint, quemadmodum ſuo loco dicemus.[e] Interea operæ pretium eſt ſcire, in iure noſtro de alio Suppoſitionis genere agi, quum ſcilicet vxor in domo mariti puerum, tanquam illius ſit (qui tamen ab alio genitus eſt) ſupponit, qui poſtea ad bonorum poſſeſſionem vocetur.[f] Crimen profecto grauiſſimum, quod leges ſeuera animaduerſione ſanxerunt, vt non modo de ipſa muliere ſupplicium ſumeretur, quæ tantum nefas machinata, ſed de iis etiam quorum opera vel conſilio vſa fuerit.[g] Quumque in aliis criminibus, procedente tempore[h] aliqua impunitas poſſit conciliari: qui verò huius ſamel affinis eſſe compertus fuerit, pœnam nullo quantumuis diuturno temporis interuallo effugere poteſt.[i] Neque interim omittendum illud eſt, pœnam hanc licet capitalem Imperator eſſe velit,[k] non eſſe tamen certam, propterea quòd nomen hoc de morte naturali vel ciuili accipi poteſt.[l] Qua in re meum ſemper fuit iudicium, vt res tota de mortis genere, Iudicis arbitrio permittatur, qui pro circumſtantiarum omnium ratione, quas diligenter expendet, pœnam vel grauiorem vel

b L. vnica, C. de muta. nom. & inf. annot. 78.
c L. falſi, ff. de falſ. l. Titio ff. ad municipal.
d l. 1. §. vlt. ff. de falſis.
e Annot. 81.
f L. 2. ff. de Carbo. edic. l. qui falſam §. accuſatio, ff. de falſ. l. 1. eo tit. C.
g d. l. 2. ff. de Carbo. edic.
h L. in cognitione, ff. ad Syllan. l. adulterij, Co. de adult. l. querela, C. de falſ.
i L. qui falſam. §. accuſatio. ff. de falſ.
k L. 1. C. de falſ.
l L. edicto, ff. de bon. poſſeſ. l. ſin necem, §. ſi deportatos, ff. de bon. liber.

leuiorem ſtatuet: m maximè in noſtra Gallia, vbi de criminibus nonniſi extraordinario iudicio cognoſcitur: in quo pœnæ atrocitas & leuitas ex iudice tota pendet. n

m L.1.§.1.ff. de effractor.
n L.hodie,ff. de pœn.

TEXTVS.

In totam rem diligentius inquiſiiſſe, idq; ex autoritate Prætoris Regienſis: vt cauſa demum tota complanata, concludendo contra dictum Tillium, poſtulauerit geminam ei multam, tum ignominioſam, tum pecuniariam irrogari. Ita vt capite aperto, diſcalceatus & induſio tantum indutus, tedam accenſam manibus tenens, ſe in Deum, Regem & ipſam Rolſiam grauiter peccaſſe fateatur: quam impia temeritate & proditione deceptam & circumuentam ludificatus ſit, Martini Guerræ veri mariti nomen perſonamque falſo ementitus: cuius ſe flagitij ex animo pœnitere publicè confiteatur, & veniam oret. Pecuniariam inſuper multam bis millenarum librarum luat, deniq; victus victrici totius litis impenſas & damna reſarciat.

ANNOTATIO XIII.

In Gallicis iudiciis hic eſt mos, vt Procurator Regius qui vocatur, crimina capite damnari &

ri & plecti poſtulet: quum interim priuatus litigator, qui damnum proprium conqueritur, ciuilem tantùm pœnam expetere poſſit, pro eo ac ſua intereſſe docet. [a] Itaque capitali ſupplicio reum affici non poſtulat: multam duntaxat pecuniariam vel ignominioſam perſequitur. Eam tamen vtilem vel honorariam patria lingua appellant.

a Gul. Bened. in c. Rainut. in verb. mortuo itaq; testatore, 1. & num. 159. de testa.

TEXTVS.

Tillius reus econtra grauiter conqueri cœpit, ſiquis vnquam à cognatis indignis calumniis vexatus ſit, ſe profecto eum eſſe. Quem quum omnes ſatis intelligerent, eſſe reipſa Martinum Guerram Artigatenſem, Petrum tamen Guerram patruum cum ſuis generis, nouum crimen, & antea inauditum aduerſum ſe excogitare & architectari in animum induxiſſe. Id verò peßimo conſilio eum conari, vt nimirum ſe facultatibus & fortunis ſuis, quas ad octo millium librarum pretium poßidet, exueret: qui quum eas diu dum abeſſet, tenuerit, nunc doleret, quòd à ſe domum reuerſo ad reddendam adminiſtrationis rationem & reliqua præſtanda, apud Prætorem Regienſem ſe conueniri videret, ad cuius tribunal diem illi iampridem dixerit.

ANNOTATIO XIIII.

Hæc depulſio non parum veriſimilis videbatur. Nihil enim in rebus humanis iniquius rei alienæ cupiditate exiſtere poteſt: vt docet Ieſus Siracides, [a] nec auaro homine quicquam eſt improbius. Nulla ſiquidem opum congerie exaturari poteſt, neque in amplificandis fortunis, cupiditatem vnquam poteſt explere: neq; penſi quicquam habet, qua ratione rem faciat, [b] etiamſi dimidiæ partis humani generis, imò & eorum quos coniunctiſſimos habet, ſanguinem profundere neceſſe fuerit. Cuius immanitatis illuſtre teſtimonium dabit Pygmalion rex Tyri, qui nefaria proditione Sichæum fratruelem & ſororium necauit, vt auro, cuius vim magnam habebat, potiretur. [c] Idem fecit Polymneſtor Thraciarum rex, qui Polydorum à patre Priamo, belli Troiani tempore, fidei ſuæ commiſſum perfidioſe interemit, vt theſaurum occuparet. [d] Quinetiam Eriphyle (quod maiori longè admiratione dignum eſt) cupiditate immodica ardens, vt pretioſum monile acciperet, quod Adraſtus Argiuorum rex habebat, non dubitauit prodere & proferre ſuum ipſius maritum Amphiaraum, qui ſe occultauerat, ne ad bellum Thebanum proficiſceretur, metu ſcilicet mortis, quam ſe illic oppetiturum eſſe vaticinio prædictum fuerat. [e] Itaque meritò poëta exclamat:

— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames? [f] —

a Eccl. c. 10.
b Cic. lib. 2. de Orat. c. nonne 37. diſt.
c Virg. Aeneid. lib. 1.
d Aeneid. lib. 3. Plut. in parallel. Ouid. in Ibin.
e Cic. Ver. 6. Vir. lib. 6. Aeneid.
f Aen. lib. 3.

Qua de cauſa M Antoninus princeps genero-ſus & omni virtute ornatiſſimus, nihil tam tota vita reformidauit, quàm nomen & famam auari: nihil vnquam adeo deteſtatus eſt, vt auaritiam,[g] nempe omnium malorum matrem, originem & radicem:[h] quæ, vt à Saluſtio ſcribitur, fidem, probitatem & virtutem omnem euertit.

g Iul. Capitol. in vita Antonini.
h 1. Timot. cap. 6.

TEXTVS.

Itaq; obiicere auſum non eſſe ipſum Martinum Guerram, ſed nomen falſò ſumpſiſſe: Rolſiam deniq; ab eo impulſam, vt tantum crimen iudicio perſequeretur.

ANNOTATIO XV.

Si leges grauiter damnant, quòd ſeruus, qui nullo numero ac propemodum mortui loco habetur,[a] ſubornetur, vt à domini imperio, cuius mancipium eſt, abducatur:[b] multo magis culpandum eſt, ſiquis liberam perſonam muneribus, promiſſis, illecebris & blanditiis corrumpere conetur, ac potiſſimum vxorem vel puerum,[c] quos mariti & parentes meritò rebus omnibus chariſſimis anteponunt.[d]

a L. quod attinet, l. ſeruitutem. ff. de re. iu.
b L. 1. et ſeq. eo tit. ff. de ſer. corrup.
c L. fin. C. ad l. Fab. de plag. l. & tãtum, §. 1. ff. de ſer. cor.
d L. iſti quidem, ff. quod met. cauſ.

TEXTVS.

Deinde rem totam fuſius oratione proſequens, narrare cæpit quemadmodum circiter annos octo Regi militaſſet, deinde poſtquam

aliquot menſes in Hiſpania, regionis luſtrandæ cauſa, egiſſet, tandem cognatos, patriam, filium, in primis verò vxorem reuiſere cupiens, tertio ab hinc anno Artigatum reuertiſſet.

ANNOTATIO XVI.

Sunt iſti haud dubiè tres validiſſimi ſtimuli, quibus quis incitari poſſit, vt è remotiſſimis locis ſe domum recipiat, nempe patriæ charitas, liberorum amor, & vxoris deſiderium. De patria enim vix oratione poteſt exprimi (vt alicubi dicit Cicero) [a] quantum ſuauitatis, dulcedinis, amoris & voluptatis in ſe contineat. Cuius rei magnitudo efficit, vt alia regio etiamſi amœnior, iucundior & feracior ſit, nunquam tamen adeo arrideat, aut delectet. [b] Id verum ipſe ſatis docet Vlyſſes, qui Ithacam patriam ſaxoſam (quæ nidi inſtar inter aſperas rupes nullo pene acceſſu deliteſcebat, immortalitati præferre aon dubitauit, quam ei nympha Calypſo offerebat. [c] In hanc ſententiam Ouidius ſcribit:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui. [d]

Patris porro in ſuam prolem extremum eſſe amorem nemo neſcit, (niſi ab ingenito natura ſenſu magis quàm feræ ipſę degenerarit) vt nonnunquam eo amore quo ſe quiſque proſequitur, vehementior ſit. Quare non temerè de Ænea patre à poëta dictum eſt:

[a] *Orat. ad Quir. poſt red.*

[b] *l. qui habebat. ff. de le. 3. Accurſ. in l. fin. C. ſi ſer. expor. Ven.*

[c] *Hom. Odyſ. lib. 5. Cic. 1. de orat.*

[d] *Lib. 1. De Ponto.*

Omnis

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Dauid quoque rex multis licet grauibuſque iniuriis à filio Abſolone affectus, tum quòd Amnonem alterum filium interfici curaſſet, deinde ipſas patris concubinas inceſto ſtupro fœdaſſet, tum quòd mortem ei machinatus fuiſſet: Vbi tamen intellexit capite ſublimem è quercu pendentem hæſiſſe, ſe continere non potuit, quin exclamaret: [b] Heu fili Abſolome, fili mi Abſolome, vtinam pro te mortem oppetiiſſem, Abſolome fili mi? Amorem verò coniugalem cæteris omnibus vehementiorem eſſe, ex Propertio diſcimus:

b 2, Reg. cap. 13. 16. 17. & 18.

Omnis amor magnus, ſed apertè in cõiunge maior: *Eleg. lib. 4.*

¶ Quod verum eſſe inter infinitos teſtabitur Pericles, cuius tantus in vxorem Aſpaſiam amor extitit, vt eam relinquere nunquam vellet, neque domo egredi, quodcunque tempus incidiſſet, niſi eam prius diſſuauiaretur. [c] Prætereo enim Periandrum Corinthium, qui adeo ſuam deperiit, vt cum ea vel mortua congredi ſuſtineret. Mitto Orpheum qui tantum diſcrimen adire auſus eſt (vt quidem fabulantur Poetæ) vt ad inferos vxorem ſerpentis morſu extinctam, repetiturus, deſcenderet: effecitque vt eum Pluto & Proſerpina redderent, certis tamen conditionibus, quas ille amoris vehementia victus, non ſeruauit. [d]

c Plutar. in Pericl.

d Virg. Georg. 4. Ouid. Metamor. 1.

TEXTVS.

Ac tametſi temporis interuallum non modicam in vultu mutationem effecerat, maximè quum domo proficiſcens omnino imberbis eſſet, tamen reuerſus cùm à cæteris, tum maximè ab ipſo patruo agnitus, & ob eo omni humanitate familiaritateque ſuſceptus eſt, donec tandem ſuis rebus animum intendere, earumq́ rationem repoſcere, ac fructus toto illius abſentiæ tempore perceptos, repetere decreuiſſet. Huius enim rei quum illum amicè non ſemel commoneſeciſſet, ſeq́ verbis tantum blandis duci intellexiſſet;

ANNOTATIO XVII.

Olim quum creditor debitorem appellabat, antequam diem illi diceret, priuatim eum adibat, familiariter, vt debitum ſolueret, hortabatur, [e] neque id ſemel, ſed iterum & tertio. [f] Sic nos docet Proculus Iuriſconſultus, vt ſi quam ab altero iniuriam acceperimus, eum compellemus & errati amicè moneamus. Volo, inquit, cum Iberio loquaris, rem illi citam faciat. [g] Quæ omnia non ſolum humanitatis & ciuilitatis ſunt, ſed ad Chriſtianiſmum etiam accedunt: vbi iubemur fratrem prius monere quàm ei minari, [h] prohibemurque cum altero contendere, ſed humanitatem, amorem, & lenitatem erga omnes colere.

[e] *Cic. pro Cluent. l. debitores, C. de pignor.*

[f] *L. ſi conuenerit, ff. de pig. act.*

[g] *L. quidam Hyberus, ff. de ſer. vrb. præd.*

[h] *Eccleſiaſt. cap. 19.*

colere.[i] Vt ſi qua ab alio nobis iniuria orta eſt, ne eum propterea inimicum habeamus, ſed tanquam fratrem in viam reducamus,[k] & priuato colloquio corrigamus.[l]

i Tit. cap. 3.
k 2. Theſſal. cap. 3.
l Leuit. cap. 19. Matth. 18. Luc. 17.

TEXTVS.

Tandem coactus fuerit litem ei intendere, & iudicio fortunas ſuas perſequi. Nam ad reſtituendos fructus quos perceperat, & ad reddendam adminiſtrationis rationem, nunquam adduci potuit. Quin potius ob eam rem indignatus ipſe, generorum opera, omni ratione exitium ei comparare conati fuerant. Primum conſilium fuit de eo necando: quod vt perficerent, ſæpe inſidiati, ſæpe aggreſſi, poſtremo (tanta fuit vis auaritiæ) in oculis vxoris vecte eum prope ad necem percuſſum in terram deiecerant, miſere illic mactaturi, niſi vxor præſens ei ad excipiendos ictus incubuiſſet, quando aliter ſeruare non poterat.

ANNOTATIO XVIII.

Magnum eſſe oportet vxoris in virum amorem, quum pro eius ſalute capitis periculum adire non dubitat. Quod feciſſe memoratur Alceſtis, Admeti Theſſaliæ regis vxor. Ea quum ex Apollinis oraculo didiciſſet, maritum morbo

decumbentem, pene ſalute deſperatá, nòn aliter poſſe liberari, quàm morte cuiuſpiam ex amicis voluntaria, videretque neminem extare, qui hoc ſubiret, amoris vi, qua ferebatur, incenſa, vltro mortem, ſeruandi mariti cauſa, oppetiit. *m* Hypermneſtra quoque eò venit, vt à patre Danao pene interficeretur, quò Lynceum ſponſum ſuũ ſeruaret, quem Danaus cum reliquis generis numero quinquaginta, opera filiarum, quas pari numero habebat, interficere decreuerat. Ex quibus vna extitit Hypermneſtra, quæ ſuo marito pepercit: vt Horatius meminit, *a*

m *Eurip. in Alceſt. Iuuenalis Sat. 6.*

a *Carm. lib. 3. Ode. 11.*

Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.

TEXTVS.

Nunc poſtquam nefarius ille conatus non ſucceßit, alia aggrediuntur via, vt flagitium illud horrendum & prodigioſum comminiſcantur. Quare quoniam ſi verum eſſet, inuſitato ſupplicij genere vindicandum videretur, lege talionis, aduerſus calumniatores agere ſe profitebatur.

ANNOTATIO XIX.

Hæc demum æquiſſima eſt calumniatorum

pœna

pœna (id eſt, eorum qui falsò & meditatè alium certi criminis arceſſunt) vt eam patiantur, quam de reo ſumi oportebat, ſi rem ita habere conſtitiſſet.[b] Crimen profectò inhumanum, deteſtabile & atrox, quodque boni omnes Imperatores tanto odio proſecuti ſunt, vt nulla vnquam iuris ſpecie, nulla abolitione ſiue publica, ſiue priuata, nulla principis ſpeciali permiſſione, debito ſupplicio eximi potuerit.[c] At ipſi quidem Canoniſtæ meritò cenſuerunt, calumniatorem grauiori pœna dignum eſſe, quàm delatum, ſi reus peractus eſſet:[d] Cuius rei ratio in promptu eſt: quòd ſcelera ſæpe fiunt nullo meditato conſilio, aut antecedente deliberatione, quadam nempe animi impotentia & immoderata perturbatione.[f] Verbi gratia, cædem committit quiſpiam ira ſupra modum percitus, furatur inopia compulſus, impiè in Deum vel contumelioſè in principē loquitur, aut alteri detrahit lubrico quodā linguæ lapſu.[g] Calumnia autem nunquam niſi certa animi præcogitata nequitia deſignatur. Quam vt Deus pro merito deteſtaretur, non ſatis habuit quod per Moſen ſerio vetuit, ne alterum calumnia appeteremus læderemusve, [h] ſed ſollicitè præcepit, vt eum qui opprimitur, e manu calumniatoris eriperemus, ne diuina indignatio inſtar ignis graſſetur, quæ vbi ſemel propter tantas prauitates exarſerit, à nemine poſtea queat reſtingui. [i] Idem diabolo multa & conuenientia epitheta tribuit, quibus eius dolos, crudelitatem & aſtum oſtendat: vt

b L. fin. C. de accuſa. c. quiſquis 3. q. 8.

c c. Paulum 2. q. 3.

d L. fallaciter, C. de calumniat. c. fin. & ibi Innoc. & Panor. de calũniat.

f L. 1. ff. de leg.

g L. famoſi. ff. ad l. Iul. maieſt.

h Leui. c. 19.

i Hierem. cap. 21.

k Geneſ. c. 3.
Apoc. 12.
l Eſa. ca. 27.
m Pſal. 91.
n Ezech. 22.
Sophon. 3. 1.
Pet. cap. 5.
o Pſal. 72.

quum ſerpentem, k draconem l aſpidem, m Leonem rapacem & rugientem appellat. n Verùm inter cætera noluit illud prætermittere, quod præter cætera illi quadrat, vt eum appellet διάβολον, calumniatorem: o quoniam mendax eſt, falſorum criminum delator: qui obnixè ſtudet animum noſtrum nouis terroribus percellere, dum vel efficit, vt nobis diſpliceant, rectè à nobis per diuinum fauorem geſta, vel magnificè exornat quæ perperam fecimus, quò in illis nos obfirmet & detineat. Nullum eſt, ita me Deus amet, in Rep. ſcelus, quod tanta ſeueritate puniri & coerceri omnium referat; atque eſt calumnia. At perditiſſimis iſtis temporibus quibus viuimus, tantum nefas pro ludibrio habetur, adeò laxātur habenæ calumniarum artificibus, vt illis impune liceat moliri & confingere omne genus calumnias, dolos nectere aduerſus probos & innocentes. O nobilem Domitiani vocem, qui dicere ſolebat, Principem calumniatoribus parcentem perinde facere ac ſi eos iuuaret & tueretur. p Alexander Magnus quoties in capitis iudicio cauſas audiens ſedebat, alteram aurem ſolebat manu oppoſita obturare, quam reo integrā, & (vt eleganter ait Plutarchus) ἀδιάβλητον ſeruaret. Quod ſi calumniæ vel minimum veſtigium deprehendebat, tanta ira in hominem ferebatur, vt ſe nonnunquam crudelem & inexorabilem præberet.

p Sueton in Domitiano.

TEXTVS.

TEXTVS.

Illud inſuper poſtulabat, vt tum vxor, tum ſorores ſuæ ſecum committerentur. Non dubitare ſe, quin ille omnes, vtpote probæ & honeſtæ, ipſum pro fratre conſtanter agnoſcant. Petit etiam vt actrix, quæ apud Petrum patruum erat, ex eius domo abducta, apud viros integræ exiſtimationis manere iubeatur; ne circumueniatur, aut ſubornetur. Deniq; ſe inſontem abſolui poſtulat.

ANNOTATIO XX.

Si ex vulgo receptis regulis iuris magnam ob cauſam cauetur; ne bona ſequeſtrentur,[a] id eſt, è manu & poteſtate poſſeſſoris abſtrahantur, vt tertio cuidam committantur:[b] quòd non facilè neque abſque vrgente quadam ratione cauſaq; prius cognita, quiſquam ſuarum rerum poſſeſſione deturbandus eſt:[c] longè grauior profectò cauſa eſt, cur non ſtatim perſonarum ipſarum ſequeſtratio permittatur; maximè quum à propinquorum conſuetudine, puta parentum, liberorum aut cæterorum conſanguineorum, abſtrahendæ ſunt.[d] E diuerſo etiam quemadmodum, vbi idonea & grauis cauſa extat (verbi gratia, quum periculum eſt, ne res inter litigantes ad arma ſpectet,[e] aut in fugæ vel inopiæ metu)[f] licet abſque dubio mobilia bona & immobilium

a L. 1. C. de prohib. ſeq. pecun.
b L. licet, ff. depoſ.
c c. 1. vt lit. pend.
d L. ſi domus §. qui confitetur, ff. de leg. 1. l. poſſeſſionum, C. comm. vtr. iud.
e L. æquiſſimum, ff. de vſu fr. l. vlt. ff. de of. proc. Cæſar.
f L. ſi fideiuſſor, §. fin. qui ſatiſd. cog.

fructus[g] ſequeſtrare: ita in perſonis ipſis nonnunquam faciendum eſt, vt quum ſuſpicio vel metus ſeductionis ſubeſt, aut alia extat legitima cauſa, Iudex iubeat virum aut mulierem ſequeſtrari, & apud quoſdam probos & integros collocari, quorum diligentia impediatur, ne cui ſuſpecto aditus illuc pateat.[h] Exemplum eſto, ſi maritus petat vxoris in integrum reſtitutióné, quæ tamen illius ſæuitiam reformidat, cuius fortaſſe antea periculum fecerit: debet ea probæ cuidam & honeſtæ matronæ in cuſtodiam dari, donec de lite pronuntiatum ſit.[i] Itidem quum maritus veretur, ne vxor quam repetit, aduerſus ſe ſubornata ſit, iudicis partes ſunt, vt eam in certis ædibus habitare iubeat, vbi nulla vis metuatur:[k] quod antea ſolebat fieri in virginum ſacrarum monaſteriis.[l]

g L. Impp. §. Vlt. ff. de apel. l. ab executione, C. quorum apel. non recip.
h L. 3. §. ſi vero vtraque, ff. de lib. exhib.
i c. ex tranſmiſſa, c. literas, §. fin. de reſt. ſpol.
k c. cum locum, de ſponſal.
l c. penul. de proba.

TEXTVS.

Hic verò Tillius dum apud Iudices loquitur, longam narrationem, eamq; veram (quod poſtea apparuit) cœpit inſtituere de Cantabrorum regione, Martini patria, de eius parentibus, fratribus, ſororibus cæteriſq; conſanguineis, quo anno, menſe & die nuptias contraxerant, de ſocero & ſocru, de iis qui & tum aderant, & matrimoniū conciliarant, de veſtium ornatu, quas quiſq; eo die geſſerat, de ſacerdote qui nuptias celebrauerat, de omnibus iis ſigil-

iis ſigillatim quæ tum nuptiarum ipſo die, tum antecedentibus & conſequentibus geſta fuerant, ita vt eos etiam deſignaret, qui media nocte in geniali toro ſe inuiſerant. Præterea de filio Sanxio, deq; illius die natali: de cauſa profectionis, de iis quos diſcedens obuios habuit, quid cum illis locutus fuerat: de locis in quibus toto peregrinationis tempore, tum in Gallia, tum in Hiſpania egerat, de iis quibus cum vtrobiq; conſuetudinem habuit. In quibus ſingulis memorandis certas perſonas denotabat, ex quibus poſtea quæreretur, num ita ſe haberent: vt eius oratio tanto veriſimilior redderetur. Quod quum fieret, compertum eſt, omnia ab eo vere dicta fuiſſe.

ANNOTATIO XXI.

Hæc tam prolixa rerum commemoratio, additis tot veriſſimis ſignis, magnam Iudicibus occaſionem præbebat, cur, cùm ſibi perſuaderent Tillium crimini affinem non eſſe, tum etiam fœliciſſimam illius memoriam admirarentur, qui innumerabilia, quæ ab annis viginti contigerant, ordine narrabat. Qua in re quum illi omni ſtudio operam darent, vt eum in mendacio quopiam deprehenderent, nihil tamen profecerunt, neque vnquam ita turbare potuerunt, quin appoſitè & verè ad omnia reſponderet, etiamſi

ſeparatim temporum ſpatio interiecto, ſciſcitarentur. Id quod longè admirabilius videbatur: qui eum ob præſentem illam omnium rerum memoriam cum viris hoc nomine præcipuè celebratis contuliſſent, nempe Scipione, Cyro, Theodecte, Mithridate, Themiſtoc. Cynea, Metrodoto, & Lucullo: [a] niſi exitus infœlix & tragicus iſtius impoſtoris tam illuſtriũ virorũ ſplendori obfuiſſet. [b] Enimuero ſi huiuſmodi comparationibus indulgere libet, par propemodũ fuit Portio Latroni, Senecæ familiariſſimo, qui dicere ſolebat ſe nunquam ne minima quidem in re memoria lapſum fuiſſe. Cuius rei vt ſpecimen ederet, iubebat ſibi proferri nomen cuiuſdam ducis aut viri alioqui fama illuſtris, quem ſcilicet quiſque nominare vellet: ac ſtatim facta eius ac dicta ab ipſa ineunte ætate, velut ab ouo ad mala, memoriter narrabat, vt ne latum quidem vnguem à vero diſcederet. [c] Idem iſte veterator in Martini Guerræ negotio faciebat.

a Cic. 1. Thuſcul. quæſt. & 2. de orator. Plin. li. 7. cap. 24.

b Vide annot. 42.

c Seneca in prologo Declamat.

T E X T V S.

Re in diſceptationem & cognitionem vocata, ſtatuitur vt teſtes cum Tillio componantur, quin & ipſa actrix in iudicio ſiſtatur, & ad poſtulata reſpondeat: præterea vt ex teſtibus nonnulli quos ipſe, ſe Martinum profeſſus, nominatim citauerat, tum alij quorum nomina eduntur, rogati reſpondeant de quibuſdam

buſdam ex ipſa lite naſcentibus. Ipſa actrix à iudicibus rogata, omnia conſentanea cum Tillij verbis reſpondet: niſi quòd addit, paulo poſt quam Martino nupſiſſet, circiter octo vel nouem annos, ſe maleficio quodam illigatos manſiſſe, vt congredi omnino non poſſent. Quam ob cauſam proximos quoſque conſanguineos ſuaſiſſe vt matrimoniũ dirimi poſtularet: cui conſilio ſe nunquam parere voluiſſe.

ANNOTATIO XXII.

Ex eo vel vno indicio ſatis apparet, quàm pudicitiæ & honeſtatis ſtudioſa fuerit hæc matrona, quæ nunquam potuit adduci, vt diuortiũ poſtularet, ob maleficium, quo virum amplius nouem annorum ſpatio irretitum viderat: licet per iuris pontificij ſtatuta, poſt tertium ſtatim annum id petere licuiſſet. d Quò autem res tota melius intelligatur, ſic habendum eſt, impedimentum quo quis ad coitum ineptus redditur, oriri vel ex frigida conſtitutione, vel ex maleficio, aut alterius generis impotẽtia. e Ea enim voce in vniuerſum notatur defectus quilibet, ſiue à natura ſiue à caſu ſit. f Naturalis impotẽtia nonnunquam ab ætate duntaxat procedit, quæ infirmior eſt: g quæ cauſa in virũ ex æquo & in fœminam cadit. Quandiu enim in pupillari ſunt ætate, mas nempe minor annis XIIII, fœmina XII, ex naturalium viriũ modo ad coitum non

d c. fin. de frigid. & malef. c. ſi per ſortiar. 33. q. 1.

e §. per occaſionẽ nouel. Inſt. de nup. col. 4. c. propoſuiſti, de probat.

f Gl. in c. hi qui, 33. q. 7. Panor. in rubr. de fri. & malef.

g L. penul. ff. quand. di. e leg. ced.

ſunt idonei, *h* neq; ad contrahendum matrimonium apti: *i* præſertim quum (vt antea pluribus à nobis demonſtratū eſt) *k* iudicio & rerum vſu nondum polleant, vt conſenſum ad hanc rem præbere poſſint. *l* Itaq; licet omnia criminū genera, furtum, ſacrilegium, homicidium, periuriū & conſimilia, in eos poſſint cadere: hoc tamen ab eis alienum videtur, *m* ac proinde adulterij accuſari nequeunt. *n* Aliàs naturalis illa impotentia à frigiditate eſt, *o* id eſt temperamento tam frigido, vt nullo calore excitari & ad cōgrediendum cū illa muliere aptari poſſit. *p* Qui enim hac ratione vnam inire prohibetur, ab omnibus pariter arcetur. *q* Hac virium defectione viros duntaxat affici contingit: quę etiam cauſa idonea eſt, cur matrimonium contrahendum impediatur, aut contractum dirimatur, *r* aut ſaltem nullum eſſe pronuntietur, quod profecto re ipſa nullum vnquam fuerit. *s* Poteſt alia naruralis impotentia eſſe, quum quis natura caſtratus eſt, aut teſticulis caret, aut denique meatum & quaſi tubum ſeminis ita ſinuoſum & flexuoſum habet, vt ſemen in his anfractibus ſiſtatur, ne in vaſa neceſſaria deferri profluendo poſſit. *t* Simili vitio ipſa quoq; fœmina laborare poteſt, ſi vel naturale organum ei deeſſet, vel partes obſcœnas adeo anguſtas & arctas haberet, aut alia de cauſa maris impetū pati non poſſent. *u* Qua in re ſi nulla ratio extat, qua aditus poſſit pateſieri, certū eſt matrimonium contractū ſolui poſſe, *x* aut (vt verius loquar) pronuntiari nunquā iuſtū & va-

lidum

h L. minorē, ff. de rit. nup. d.l. penul.
i ff. de nup. c 2. de frig. & malef.
k Vide 1. annotationē.
l L. 1. C. de fal. mon. c. 1. & 2. 30. q. 2.
m L. 1. §. impuberes. l. excipiuntur, ff. ad Sillan. c. 1. de delict. puer.
n L. ſi minor annis, ff. de adult.
o c. ex literis c. laudabilē, de frig. & malef. c. quod autem c. requiſiſti, c. ſi quis acceperit, 33. q. 1.
p Plin. lib. 11. cap. 37.
q d. c. requiſiſti, Gl. in c. fin. de frig. & malef.
r c. 1. & 2. c. ex literis c.

lidum fuiſſe.[y] Impotentia ex caſu aut coacta & violenta, aut occulta & ignota eſt. Illa gladio vel cultro fit, quum virile pudendum abſcinditur.[z] quod licet nonnulli in ſe vltro faciant, nihilo taméſecius vis naturæ infertur.[a] Ac mihi quidem nonnulli videntur D. Matthæi verba inſcitè admodũ huc adducere, dum dicit ex caſtratis alios eſſe ex matris vtero tales, alios ab hominibus factos, alios denique eſſe qui ſeipſos, regni cœleſtis gratia, caſtrarunt.[b] Euangeliſta enim (qui alio quàm nos hoc loco ſpectat) docet, eos qui vel natura, vel vi humana caſtrati ſunt, ſi caſti ſunt & continentes, non magnã ex ea re laudem conſequi: quòd talis caſtitas magis à neceſſitate quadã & coactione pendet, quàm à ſancto propoſito & virtute Chriſtiana. Qui verò ſeipſos caſtrauerunt, non gladio aut cultro (hoc enim deteſtabile eſt & execrandum) ſed Dei cultu, Euangelij ſtudio, & magna quadam præceptis diuinis parendi cupiditate ardentes, certamine ſunt ſuperiores aduerſus libidinis incendium, & æſtum illum flammamque, qua caro continenter flagrat, reſtinguunt, eos demũ ſumma laude eſſe dignißimos. Sed vt ad inſtitutũ noſtrũ redeamus, qui mẽbris ipſis ita vt diximus, mutilati ſunt, quia non ſolùm gignendi virtute deſtituuntur, ſed omnino ad mulieres accedere prohibẽtur,[c] nullo pacto matrimonium poſſunt cõtrahere.[d] Impotentia occulta & arcana eſt, quæ faſcinatione vel maleficio infertur:[e] quo vir aliquando erga vniuerſas mulieres impotens redditur, vna excepta,

laudabilem c. fraternit. de frig. & malef. c.1. c. requiſiſti, 33. q.1.

s §. ſi vero, non. Iuſtin. de nup. col.3.

t Galen. De vſu par. li.15.

u L. quærıtur, §. mulierem, ff. de ædil. edic.

x c. ex literis c. conſultationi, c. fra. de frig. & malef.

y d. §. ſi vero.

z L. ſi ſeruus §. & ſi puerũ, ff. ad l. Aquil. c. hi qui 33. q.7.

a L. lege §. fin. ff. de ſic.

b Matth. 19.

c §. ſed illud de adoptio.

d L. ſi ſerua, §. ſi ſpadoni, ff de iu. dot.

e c. fin. §. ad hæc omnia, 26. q. 5. c. ſi per ſortiarias, 33. q.1.

eaque cuius opera fortè maleficium comparatū eſt: aliquando ſic erga vnam impotens eſt, vt cum cæteris rem habere poſſit. f Quæ omnia parum veriſimilia fierent, niſi innumeris exemplis rem ita habere conſtaret. Huiuſmodi porro faſcinatio perpetua non eſt, quòd vel certo temporis ſpatio, vel contraria faſcinatione tolli poteſt, aut ab eo etiam qui faſcinationis eſt autor: g quod vel in noſtra Vaſconia frequens eſt. Nam in rebus humanis (vt ipſis etiam philoſophis placet) quod ligari & necti poteſt, id ſolui etiam ac diſiungi poteſt. h Quamobrem certò ſtatuendum eſt, in his rebus non ſatis eſſe cauſæ ad ſoluendum matrimonium iam contractum, i niſi tertio demum à die nuptiarum anno. Quo tanto temporis ſpatio, ſi matrimoniale opus non potuit inter coniuges perfici, lex præſumpta opinione impedimentum eſſe perpetuum exiſtimat. k Quanquam non deſunt qui ambigunt, num hæc idonea ſit cauſa ad matrimonium dirimendum, quum Deus nullam præter adulterium videatur conſtituiſſe. l Atque hæc quidem grauiſſima eſt, quæ affertur ratio, imò iuſta & vera, ſi quidem vel ſemel potuit iuſtus coitus à principio iniri. m Nam ſi nullus intercedere potuit, licet proculdubio vxori à viro, qui virili nulla facultate præditus eſt, diuertere, & alteri nubere. n Extant tamē nonnullæ adeo pudicitia & honeſtis moribus inſignes, quæ libidinoſum incendium ita moderari ſtudent, vt quoties laſciuus quidam vehementior impetus continētiam laceſſit,

f c. fin. & ibi gl. de frig. et malef.

g c. fraternitatis, & ibi gl. & c. fin. de frig. & malef.

h §. nup. tit. de nup. nouel. Iuſtin. col. 4.

i d. c. fraternitatis, & ibi gl. & c. fin. de frig. & malef.

k d. c. fin. & d. c. ſi per ſortiarias.

l Matth. ca. 19. 1. Cor. 7.

m c. 1. 33. q. 1.

n c. quod autem, §. 1. 33. q. 1.

laceſſit, ſtatim illum reprimant atque enecent: vt non paucæ tres illos annos, quatuor, quinque, imò octo vel nouem annos manſerint (vt iſta quoque Rolſia noſtra) quum interim ne verbo quidem de mariti imbecillitate conqueri viſæ ſint. Qua in re nuper ab homine quodam fide digno didici paulo antequam hæc ſcriberem, fuiſſe ab Officiali Albauguſtano, ſiue Albienſi, diremptum matrimonium, in quo coniuges octo & decem annos abſque vllo congreſſu per mariti impotentiam vixerant, vt vxor adhuc virgo reperta ſit ab inſpectãtibus: quæ tamen nunquam ægrè ferre aut expoſtulare audita fuerat.

TEXTVS.

Nono demum anno faſcino illo liberatam, cuius rei cauſa ſe monitam fuiſſe, vt quatuor miſſas celebrari præciperet. Sacerdotes qui miſſas fecerint, indicat: tum ab eorum vno, quem & ipſum diſertè nominat, ſe aliquot hoſtias quas vocant, ſeu cruſtula comedenda accepiſſe, quibus abſumptis vtrunque melius habuiſſe, vt non multo poſt Sanxium filium conceperit.

ANNOTATIO XXIII.

Incredibilis eſt Satanæ verſutia & calliditas, qui Leonis rugientis more perpetuo circumit,

vt aliquem illaqueatum decipiat, ſæpe etiam ſe in Angelum lucis transfigurat,[a] quò melius alliciat & irretitum teneat. Imò ſuas ipſas tenebras inductis coloribus ita ornat, vt multis obſcuriſſima caligo ſplendidiſsimum lumen eſſe videatur. Cuiuſmodi eſt, quod in hac faſcini repercuſsione deſignauit: vbi ſub pietatis ſpecie & eccleſiaſticarum ceremoniarum prætextu teterrimum venenum propinauit, miſeris iſtis perſuadens, non aliam eſſe rationem, qua iſto maleficio ſoluerentur, niſi edendis hoſtiis & cruſtulis: quum interim potiſsima illa negligerentur, animi contritio, cordis demiſsio, eleemoſynæ, ieiunia & preces: veri & præſtātiſsimi exorciſmi, quos Deo offerri deceat,[b] vt in eo ſolo tota ſpes collocetur, non in vanis & commentitiis ſuperſtitionibus.[c]

a 2. Cor. cap. 11.

b c. fin. 33. q. 1.

c Pſal. 32.

TEXTVS.

Tillius verò de hoc maleficio & faſcinatione, ſacerdotis nomine, & ceremoniis vſurpatis rogatus, planè conſentanea actricis orationi reſpondet, vt nihil neq; adderet neq; minueret. Cæterum quum inter ſe committendi eſſent, petit eam ſequeſtrari, & in libero loco conſtitui, ne qua ſubornatio compararetur.

ANNOTATIO XXIIII..

Demonſtratum iam à nobis eſt ſequeſtrationem, cùm bonorum, tum verò perſonarum,

odioſam eſſe & vetitam, niſi ob grauem & iuſtam cauſam: qualis in hoc negotio profertur metus ſubornationis & ſeductionis.[d]

[d] *L.3 §. ſi vero vtraq; ff. de lib. exhib. c. ex tranſmiſſa, c. literas, de reſt. ſpol. c. pen. de proba.*

TEXTVS.

Commiſſis inter ſe litigatoribus Tillius refutationibus exhibitis petit, vt ſibi permittatur literas monitorias publicandas curare, in ea capita quæ obiiciebat, quibus actricem ſubornatam eſſe contendebat. Edicto prætoris admittitur ad probandas refutationes. Deinde rei grauitate perſpecta placuit monitorias publicari, quo certius tota res pateſiat. Inſtituitur igitur inquiſitio ex officio cùm multis in locis, tum Pini, Sagiaſsi & Artigati, vt de agnitione rei, qui ſe Martinum Guerram affirmat, liquidò conſtet, deinde vt in teſtiū vitam & famam inquiratur. Editis in publicū monitoriis collectis in vnum, quæ indicata fuerant, inquiſitionibuſq; ex officio peractis, quod ad actricem ſpectat, conſtanter ab omnibus affirmatur, eam cùm toto vitæ tempore, tum abſente viro Martino, honeſtam & probam vitam duxiſſe.

ANNOTATIO XXV.

Huius probationis circumſtantia non exigui ponderis erat ad actricem purgandam, vt facilè intelligi poſſet, eam fraudis minimè con-

ſciam eſſe. Nam præterquam quòd natura & lex de vno quoque in bonam partem præſumit, honeſtæ & inculpatæ vitæ eſſe,[e] neq; in animum inducere velle, vt dolo vel fraude proximum circumuenire,[f] aggrediatur: ex eo integra exiſtimatio & fama cōfirmatur, quum ex anteacta vita apparet eum ex virtute & honeſtate vitam inſtituiſſe,& talem ab omnibus qui eum norunt haberi.[g]

e c. dudum, de præſum. gl. c. 1. de ſcruti.

f L. merito, ff. pro ſoc. Ac curſ. in l. fin. ff. quod me. cau.

g L. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit. c. mandata, de præſum.

TEXTVS.

At pro reo ipſo extant teſtes circiter centum quinquaginta, qui teſtimonium dixerūt. Ex quibus ſunt XXX aut XL numero, qui eum reuera Martinum Guerram eſſe affirmant, qui cum magnam conſuetudinē iam ab ineunte ætate habuerūt. Agnoſcere ſe in eo certas notas & indicia, quæ in Martino fuiſſent. Alij ſunt, & quidem plures, qui Arnaldum Tillium eſſe contendunt, quem ſibi ab incunabulis notum fuiſſe prædicant. Cæteri amplius ſexaginta, tantam eſſe ſimilitudinem, vt dubij de neutro aſſeuerare audeant. Conferūtur inſuper cum reo, Martini tum filius Sanxius, tū ſorores. Vnde duo valde diſſimilia colligūtur: Sanxium cum iſto reo nihil habere ſimilitudinis, ſorores contra illi perſimiles eſſe. Cauſa

iudi-

iudicũ ſententiis permiſſa, Tillius capitis ſupplicio addicitur, cadauere poſtea in quatuor partes diſſecto, & ſecundum actricem pronunciatur. Tillius ad curiam Toloſanam prouocat. Patres pro ſua prudentia, proq́ꝫ rei grauitate, Petrum Guerram patruum & actricem ſiſti in Senatu iubent. Ibi inter ſe committuntur, & primo quidem lòco ipſa mulier. Ac tum Tillius vultu ita intrepido fuit, eamq́ꝫ conſtantiã, multo quidem quàm ipſa actrix, maiorem præ ſe tulit, vt pauci ex iis qui in iudicio ſedebant, eſſent, qui non ſibi perſuaderent, reum verum eſſe maritum, mulierem verò & patrũum dolo malo agere. Verumtamen quoniam nõdum de re tota liquebat, placuit Senatui inquiſitionem ex officio de aliis capitibus inſtitui, alioſq́ꝫ teſtes citari ab iis, quos prior Iudex audierat. Quid plura? His omnibus confectis, res etiam obſcurior, quàm antea, euaſit. Ex triginta circiter teſtibus, decem fere, Martinum eſſe ſeriò affirmabant, octo Arnaldum Tillium: reliqui pugnantibus circumſtantiis dubij hærebant.

ANNOTATIO XXVI.

Aduertant huc animum cùm iudices omnes, tum ſupremi, quanti periculi res ſit iudicium, maximè capitis & exiſtimationis, facere ex te-

ſtium

ſtium verbis: qui ſæpenumero aliena fide teſtimonium ferunt[c] aut vt obſequantur litigatori, à quo citantur, magis quàm ipſius rei veritati. Vnde non raro euenire videmus, vt in eadem cauſa, diuerſis inſtitutis teſtium interrogationibus, contraria planè conſequantur, eorum conſentanea voluntati, qui hæc fieri curant. Quocirca magna Iudicem prudentia hac in re vti oportet, cuius fidei lex omnia verbis Calliſtrati committit. Tu magis, inquit, ſcire potes, quanta fides habenda ſit teſtibus, quin & cuius dignitatis & cuius exiſtimationis ſint: & qui ſimpliciter viſi ſunt dicere, vtrum vnum eundemque & præmeditatum ſermonem attulerint: an ad ea quæ interrogaueras, ex tempore veriſimilia reſponderint.[a] Verùm de illis probationibus quæ teſtimoniis conſtant, amplius aliquid Deo dante à nobis dicetur.[b]

a *L.3.§.1.ff. de teſtib.*

b *Annot.73.*

TEXTVS.

Vnde facilè intelligi poteſt, iudices non mediocri in difficultate hæſiſſe, quũ cauſæ grauitatem, periculũ & ancipitem caſum perpenderent, in qua tanta in vtramq; partem momenta apparebant. Enimuero non eſſe Martinum Guerram, ſed Arnaldum Tillium, aut inſignem ſaltem quendam impoſtorem, quinque aut ſex rationes ſiue coniecturæ vehementer ſuadebant. Principio extabant teſtes amplius

qua-

quadragintaquinq;, qui eum Arnaldum Tilliũm eſſe affirmabant: Martinum quidem Guerram nequaquam eſſe aſſerebant.

ANNOTATIO XXVII.

Quum teſtes Actoris & Rei inter ſe pugnant, primùm quales ſint vtrique inſpiciendum eſt, vt iis fides habeatur, quos famæ & exiſtimationis integræ eſſe ex populi voce conſtat: deinde ſpectandum, vtri vero ſimiliora dicant. Quòd ſi in his duobus vtrorumque paria eſſe momenta appareat, tum maior numerus ſine dubio minorẽ ſuperaret. *c* Imò teſtium multitudo non rarò, quod eorum aliquibus deeſt, ſupplet, quorum alioqui non eſſet ad fidem faciendam idoneum teſtimonium. *d* Verbi gratia, ſi in condendo teſtamento, qua in re non plures quàm ſeptem teſtes neceſſarij ſunt, in tabulis octo ſcripti reperiantur, ex quorum numero duo ſint non valdè integri, & quorum fides facilè poſſit eleuari: teſtamentũ tamen ex quorundã Doctorum ſententia, valet. Ambo enim illi per ſe infirmiores, pro vno ſaltem habentur: vt quantum grauitatis in ſingulis deſiderari poteſt, id numero, qui iuſto maior eſt, abundè ſarciri videatur. *e*

c L.3.§.eiuſdem ff. de teſtib. c. in noſtra, illo tit.
d Accurſ. d. §. eiuſdem.
e Io. Imola in l. qui teſtamẽto. ff. de teſta. Alexan. conſ. 93 Vol. I.

TEXTVS

Teſtimonij porro rationem optimam reddebant, quod vtriuſque & Martini & Tillij

conſuetudine & familiaritate vſi fuiſſent, ſæpe ab ipſa vſq; pueritia, conuictu & menſa cum vtroq; verſati fuiſſent.

ANNOTATIO XXVIII.

Teſtis fide dignus minimè eſt habendus, qui dicti rationem non reddit: f de qua etiam Iudex diligenter debet inquirere. a Qui ſi adeo incogitans, aut muneris ſui ignarus eſt, vt interrogare obliuiſcatur, non tenetur teſtis, quod non rogatur, dicere, b ne priuatam aliquam affectionem prodat: c Si plus quàm fuerit interrogatus, reſpondeat. Quanquã non reprehendendus eſt, ſi rationem vltro reddat. d Quin etiam in cauſa capitali (cuiuſmodi nunc iſtam præ manibus habemus,) tenetur teſtis dicti rationem, etiam non rogatus, reddere: alioqui fidem non facit. e

f L. ſolam, C. de teſtib.
a c. cum cauſam, de teſtib. c. ſicut, de re iud. d. c. cũ cauſam, Accurſ. d. l. ſolam.
c L. fin. C. de prec. imp. offer.
d Bal. in l. presbyteri, in fi. C. de epiſ. & cle.
e Sali. in l. fin. C. de proba. Alex. conſ. 15. vol. 1.

TEXTVS.

Quo loco obſeruandum eſt, aliquot fuiſſe in teſtibus circumſtantias notatu in primis dignas. Erat enim ex eorum numero auunculus ipſius Tillij, nomine Carbo Barrautius, in quem nulla ſuſpicio poſſet cadere, quòd nemini veriſimile fieret, hominem ſanguine coniunctum tam atrox mendacium confingere voluiſſe, vt nulla cauſa extante, nepotis mortem ignominioſam quæreret.

ANNO-

ANNOTATIO XXIX.

Præterquam quòd generis illa propinquitas efficit, vt nepos ab auunculo agnoſcatur, *f* impeditque ne quis à communi naturæ ſenſu adeo degeneret, vt conſanguinei ſui exitium moliatur: illud quoque certum eſt, neminem (niſi beluas ipſas feritate ſuperet) ſuam carnem odio vnquam habuiſſe, quam omnes pro viribus nutriunt, fouent & colunt. *g* Quocirca Paulus eum infideli deteriorem vocat, qui nulla ſuorum cura tangitur. *h*

f L. octaui. ff. vnde cog. l. de tutela, C. de in int. reſt.

g Epheſ. c. 5.

h 1. Timoth. cap. 5.

TEXTVS.

Id quòd ſatis Barrautius ille Carbo docuit, quum illi produceretur Reus, tum apud Prætorem Regienſem, tum in ipſo Senatu. Eum enim vinctum & grauiſſimis compedibus impeditum videns, cum magno capitis periculo, ſtatim lacrymari & eius miſeram conditionem deflere cœpit.

ANNOTATIO XXX.

Etſi homines interdum præ ingenti lætitia, quam ex improuiſo percipiunt, lacrymantur: quod Ptolemæo Philadelpho contigit, quum libri ſacri literis aureis deſcripti illi porrigerentur: *i* tamen lacrymandi frequentior cauſa eſt, quum homines mœrore & ægritudine afficiuntur, idque ratione optima. Animus enim triſti

i Ioſephus antiq. Iud. lib. 12. cap. 2.

cia & dolore obrutus, ad ipſam cerebri pellicu-lam perfertur, vbi humorem, quem illic offen-dit, comprimit & erumpere cogit. Quæ cauſa eſt, vt humor ille *lacryma* à Latinis dicatur, quaſi *la-cerrima*, quoniam ex animi laceratione cientur lacrymæ. Alexander tamen Aphrodiſienſis cau-ſam affert, tum mœſtis tum lætis congruentem, cur nempe vtriq; lacrymas profundant. In mœ-ſtis quippe, inquit, hoc fit ob anguſtum viſus meatum, qui oculorum humorem comprimit: in iis verò qui lætitia exultant, idem humor pro-pter meatuum raritatem effunditur. k

k *Alex. Aphrodiſ. Probl. cap. 32.*

TEXTVS.

Altera circumſtantia eſt, quòd extant te-ſtes qui aliàs vel cum Tillio contraxerunt, aut contractibus ab eo factis, teſtes accerſiti affu-erunt. Tertio loco inter omnes fere teſtes con-uenit Martinum Guerrã eſſe proceriorẽ, colore magis fuſco, corpore & cruribus gracilioribus, ſcapulis incuruis, capite humeris appreſſo, mẽ-to bifido & paulum repando, inferiori labello deorſum pendulo, dentibus exiguis, naſo lato & reſimo, vlcere in vultu, & cicatrice quadã ad dextrum ſupercilium notatus: quum inte-rim Reus eſſet humilis, compactus, corpore & cruribus craſſis, cæteras illas notas humerorũ & naſi, itemq; cicatrices nullas gerens.

ANNO-

ANNOTATIO XXXI.

Quum de agnoſcendo quopiam agitur, locuples eſt teſtimonium, magna probatio & propemodum certa, ſi ex vultu petitur, qualis eſt, iampridem notus & viſus. [l] Verùm longè illa certiſſima eſt, quum cicatrices deſignantur aut aliæ notæ, quas quis in facie vel alia quauis parte corporis quaſi inuſtas, impreſſas certè & fixas gerit. [m] Quale illud antiquitùs fieri ſolebat in iis qui pœnæ ſerui operi publico addicti erant: in quorum vel brachiis vel manibus notæ quædam imprimebantur. [a] Nam ad vultum quod attinet, tantum abeſt vt aliquo ſtigmate inſigniretur, vt ne ſerui quidem faciem vllo pacto fœdare aut diformare liceret, imò hoc indignum, atrox & barbarum habebatur [b]: ne, ſi quidem id fieri videretur loco pœnæ ad quam damnatus quis fuiſſet, quem aliter quàm nota in facie ſcribenda puniri placuiſſet. [c] Etenim quum ſit homo, vt ait Lactantius, [d] vera Dei effigies ac ſimulacrum, & eius facies ad exemplum cœleſtis & diuinæ pulchritudinis effiCta, [e]

Exemplumq; Dei quiſque eſt in imagine parua: [f] genus eſſet ſacrilegij, & crimen maieſtatis ſi qua cicatrice & nota vel imprimenda vel inurenda fœdaretur commaculareturque. [g] etiam in grauiſſimo flagitio (vt quidem Canoniſtæ noſtri docent) veluti ſi quis ſigillum Principis adulteraſſet. [h]

l *L. cum in diuerſis, ff. de religioſis.*
m *L. ſtigmata, C. de fabricenſi. lib. 11.*
a *L. pen. C. de aqua du. d. l. ſtigmata.*
b *L. locum, §. ex eo. ff. de vſufruc.*
c *L. ſi quis in metallum, C. de pœn.*
d *Lactan. lib. 6.*
e *Geneſ. ca 1.*
f *Manilius Aſtron. lib. 3.*
g *d. l. ſi quis in metallū.*
h *c. ad audientiam, de crim. fal.*

TEXTVS.

Quartum accedebat, quòd ſutor, qui Guerræ calceos ſuppeditare conſueuerat, teſtatur eum duodecim puncta (vt loquuntur) longos calceos induere ſolitum, quum iſti nouem tantum ſufficerent. Alius inſuper aſſerebat Guerram peritiſsimum artis gladiatoriæ fuiſſe, cuius iſte planè ignarus eſt. Quinto loco tres extant teſtes, quorum vni, quem Ioannem Hiſpanum dicunt (is diuerſorium Tolgis meritòrium habet) Tillius in patriam reuerſus ſe patefecerat, remq́ vt celaret, rogauerat: Guerram enim mortuum eſſe, qui ſibi omnia bona teſtamento reliquiſſet. Alteri, Valentino cuidam Rubio, qui eum nomine compellabat & Tillium eſſe agnoſcebat, digito ſilentium indixit. Tertio Pelegrino Liberoſsio idem fecit, eiq́ inſuper ſudariola duo dono dedit, ea conditione, vt alterum Ioanni Tillio fratri daret.

ANNOTATIO XXXII.

Niſi teſtes hi ſingulares refutati eſſent, quum de ſuo quiſque facto teſtimonium tulit, in his probationis ſatis erat, vt quæſtio adhiberetur. Etſi enim criminis confeſſio extra iudicium facta, non ſatis habeat ad damnandum cauſæ, niſi

lis noua

lis noua inſtituatur, aut niſi extra ordinem hoc ſit in iudicis arbitrio (puta quum quis eò amentiæ & furoris venerit, vt ſe flagitia feciſſe glorietur [i]) facit tamen idoneum indicium, vt de tali improbo, qui hoc confeſſus fuerit, quæſtio haberi meritò poſſit. [k]

i c. quàm ſit graue, de exceſ. prælat.

k Accurſ. l. cap. 5. ff. de adult.

TEXTVS.

Sexto accedunt duo teſtes, qui affirmant militem quendam patria Rupefortanum, non multo abhinc tempore, quum Artigato iter faceret, miratum quòd Tillium videret ſe pro Guerra gerentem, apertè dixiſſe, veteratorem quendam eſſe: Guerram in Flandria adhuc morari, altera tantùm tibia incedentem, altera lignea ſuppoſita, pro ea quæ in expugnatione ad Sanquintinũ die S. Laurentij ſphæra bombardica illi fuerat ablata.

ANNOTATIO XXXIII.

Etſi dictum hoc, vtpote teſtium auritorum, non multum ponderis habebat, [l] tamen quum verus Martinus Guerra rediit ſic ornatus, nempe cum lignea tibia, præterea ſcriptum apud ſe habens, quo oſtendebat alteram illi tibiam glande tormentaria fuiſſe ablatam, grauiſſimus tum ſcrupulus animis Iudicum eſt iniectus, vt fucum & dolum odorari inciperent.

l c. tam literis, c. licet ex quadam, de teſtib. c. tua de conſan. & affin.

TEXTVS

Secunda ratio qua oſtendi poterat non eſſe eum Guerram, erat ea ipſius collatio cum Sanxio Guerræ filio, qua prætor Regienſis depræhenderat, eos nihil inter ſimilitudinis habere: vt ſupra commemorauimus. Id verò multorum teſtimonio confirmabatur.

ANNOTATIO XXXIIII.

Neque huic etiam argumento multum ponderis inerat. Contingit enim non raro, vt veri & legitimi liberi, alterius cuiuſpiam magis quàm ipſius patris formam referant: vt à nobis oſtenſum eſt. Qua de re non plura nunc addam, lectorem ad Plutarchi ſcripta remittens. [m]

[m] De plac. philoſ. lib. 5.

TEXTVS.

Tertia, quòd Martinus ex Cantabria oriundus eſſet, cuius regionis lingua (vt omnibus eſt notiſſimum) multum à Gallica & ab ipſa Vaſconica diſcrepat, vt vix ac ne vix quidem, niſi ab incolis intelligatur. At linguam hanc Tillius niſi pauculis quibuſdam dictionibus non callebat.

ANNOTATIO XXXV.

Licet lingua Cantabrica valde ſit obſcura, adeoq; difficilis, vt multi putent non poſſe eam

vllis literarum elementis exprimi: non eſt tamen veriſimile germanum Cantabrum patriam linguam non callere. Neque enim fieri poteſt, vt quis vernaculum ſuum idioma vel ignoret vel obliuioni tradat, niſi aut extrema tarditate ingenij, morbo, aut denique ſenio. Primi generis exemplum eſt Amphiſtides quidam, quem ita bardum & ſtipitem fuiſſe ferunt, vt reſpondere non poſſet, num patre an matre natus eſſet. Atticus quoque Herodis ſophiſtæ filius, qui tam hebeti ingenio extitit vt elementorum nomina neque diſcere, neque memoriæ mandare vnquã potuerit. Morbo autem tale quiddam Meſſalæ Coruino, clariſſimo oratori, accidit, quem per morbi vehementiam, proprij nominis obliuio cepit. Fuerunt & alij quidam, qui vel è ſummis ædibus delapſi, vel lapidis ictu percuſſi, literarum obliti ſunt, conſanguineorum & neceſſariorum notitiam amiſerunt.[a] Extrema deniq; & decrepita ſenecta, vt Franciſco Barbaro literarũ Græcarum obliuio obrepſit, in quibus antea excelluerat, & Georgio Trapezuntio ſub finem ætatis, vtriuſque linguæ, tum Græcæ tum Latinæ, ſcientia penitus excidit. Quin & noſtra hac ætate Philippus Decius, egregius Iuriſconſultus, anno 1536. (quo tempore me in Senenſi academia Doctoratus titulo donauit) adeo ſenectute emarcuerat, vt nullius legis aut paragraphi ex iure noſtro recordaretur: imò ægre quicquam Latinæ proloqui poſſet. Quare quum mihi ipſa gradus inſignia conferre conaretur, alium quen-

a Plin. li. 7. cap. 14. Solin. Polyhi. cap. 7.

dam è collegis oportuerit prodire, qui verba ſolita nuncuparet. At veterator iſte Tillius, de quo agimus, nec ſtolidus nec ſenex erat, nec morbo vllo laborabat.

TEXTVS.

Quarta afferebatur ratio, quòd vno fere omnium ore conſtanter ferebatur, Tillium ab ineunte ætate flagitioſæ vitæ aſſueuiſſe, omni generi furti & fraudum deditum, impia diuini nominis execratione tertio quoq; verbo inquinatiſsimum.

ANNOTATIO XXXVI.

Teſtium ea erat oratio, Tillium paſſim in ore habere corpus, caput, ſanguinem & vulnera Seruatoris noſtri & Dei: quod noſtrates vulgò dicunt blaſphemare. Id verò nihil aliud eſt, ſi Theologis & Canoniſtis credimus, quàm Deo corpus, membra & reliqua, quorum ſua natura expers eſt, tribuere, aut quæ habet propria, ei detrahere. [b] Quanquam ſi res vere tradenda eſt, Blaſphemia aliter definiri debet. Vt enim Hebræorum & Cabaliſtarum interpretationem omittamus, qui cenſent nihil eſſe aliud quàm Dei nomen ſupremum illud ineffabile & tetragrammaton (quod ſuis literis nec pingi nec efferri fas eſt) ore vſurpare: ſic habendum eſt, Blaſphemiam dictionem Græcam eſſe, quæ maledictum,

b Io. Anan. c fin. de maled. S. Thomas, 2. ſecun. q. 13. artic. 13.

maledictum, contumeliam, vituperium & contemptum ſignificat. Itaque blaſphemare, ſi propriè loqui placet, eſt Deum & Filium eius Ieſu.n, contemnere, deteſtari, opprobriis & maledictis proſcindere. [c] Sic quum Iudæi Chriſtum Dominum lapidibus conarentur petere, id ſe facere dicebant, non ob præclarè & rectè facta (vt ipſe de eis meritò conquerebatur) ſed ob blaſphemiam. [d] Tales impij conuiciatores veteri Lege à populo lapidibus obruebantur: è qua ciuiles noſtræ conſtitutiones deſumptæ, tale ſcelus capite ſanxerunt. [e] Quod ſumma religione hodie inter nos ſeruari deberet, abſque vlla miſericordiæ indulgentia, vt monet Gregorius. Quod ita dictum accipi velim, dum modò conſuetudine quadam in hoc flagitio induruiſſe eos appareat. [a] Neque enim qui ſemel, iterum vel etiam tertio hîc peccauit, eum lex capitali ſupplicio ſubiicit (vt quæ præcipitem & lubricum linguæ lapſum capite plectere temerè nolit [b]) ſed extraordinaria pœna in eum animaduertit, habita ipſius hominis aliarumque circumſtantiarum ratione: quarum omnium arbitrium penes Iudicem eſſe vult. [c] Cuius rei ea eſt ratio, quod lex præſumit, talia in Deum conuicia, magis ex animi quadam vel perturbatione vel leuitate, ex conſuetudine, aut denique praua inſtitutione, quàm pernicioſa voluntate oriri. [d]

c Leuit. cap. 24.

d Ioan. c. 10.

e c. reos ſanguinis. 23. q. 5.

a §. fin. nou. conſt. Iuſtin. Vt nõ luxur. ho. cont. nat. coll. 4.

b L. famoſi. ff. ad l. Iul. maieſt.

c Doct. ad l. 2. c. de reb. cred. §. item ſi quis poſtulante, de actio.

d L. ſi non cõuitij, C. de iniu. Panor. in c. 2. de maled.

TEXTVS.

Vt nihil mirandum ſit, ſi nouam hanc verſutiam ac impudentem impoſturam excogitauerit.

ANNOTATIO XXXVII.

Etiamſi lex de hominibus ita præſumat, velut ſinguli ſint probi, honeſtamque & bene inſtitutam vitam agant, [e] neque quenquam ex his animo ad malefaciendum propenſo eſſe: [f] tamen in eo qui ſemel malus fuit, & in aliquo mali genere deprehenſus, eum lex magnam ob cauſam, talem eſſe in eodem mali genere præſumit. [g] Vt (exempli gratia) qui ſemel furatus fuerit, ſi denuo furti poſtuletur, eum, ſi vel leuiſſima acceſſerit coniectura, furem eſſe, facilè nobis præſumpta opinione perſuadebimus. Ita quæ ſemel ſui copiam fecerit, etiamnum parum pudicam eſſe: qui in prima accuſatione calumniari conuictus fuerit, eum in altera quoque eſſe. [h] Cauſa autem cur ita præſumere ſoleamus, facilè poteſt intelligi, quòd vero ſimile eſt in ea quemque vel facti vel verbi voluntate perſeuerare, quam ſemel reipſa prodiderit: [i] id adeo quoniam accidentis aut qualitatis mutatio (quæ in facto conſiſtit) non facilè præſumitur. [k] Quin potius ex præteritis ad præſentia & futura coniecturas atque argumenta transferimus: [l] vt qui aliquando diues eſſe cognitus eſt, is nunc quoque diues habeatur: qui pauper, pauper: qui dominus loci

e L. cum pater, §. rege, ff. de leg. 2. c. dudum. de præſum.
f L. merito. ff. pro ſoc.
g c. ſemel malus, de reg. iu. in 6.
h L. ſi cui, §. iiſdem, ff. de accuſatio. c. ſcribam. de præſum. c. paruuli, 22. q. 5.
i L. non ad ea, ff. de cõd. & demon.
k L. cum qui ff. de proba.
l L. ſicut, §. ſuperuacuũ ff. qui. mo. pig. ſol. l. ſine poßidetis, C. de proba.

antea fuit, poſtea non minus ſit: atque idem de cæteris iudicium. *m*

m L. ex perſona, C. de proba. c. præterea. l. 2. de tranſactio. d. l. ſiue poſſidetis.

TEXTVS.

E diuerſo autem, vt reus ipſe Guerra crederetur eſſe, efficiebant teſtes ad quadraginta ferè numero, atq; in his quatuor eius ſorores, quæ hoc affirmabant. Eiuſq; rei rationes tam graues & tam idoneas reddebant, vt nihil ſuprà: illi, ſibi cum eo à primis vitæ annis notitiam, conſuetudinem & familiaritatem in ipſo & cibo & potu interceßiſſe: hæ quòd ab incunabulis vnà cum eo educatæ fuiſſent.

ANNOTATIO XXXVIII.

Teſtes iſti licet numero alios non æquarent, tamen plus in fide facienda momenti habere videbantur, idque multis de cauſis. Primùm enim reum eſſe Martinum Guerram affirmabant. Iam verò plus fidei haberi ſolet vel duobus teſtibus aliquid affirmantibus, quàm mille negantibus. *n* Præterea, qui inter hos teſtes potiſſimi ſunt, ſunt reo ſanguine coniunctiſſimi, atq; adeo quatuor ſorores, quæ conſtantiſſimè illum fratrem eſſe aſſeuerabant. At propinquis, in primis autem ſororibus, certiorem eſſe conſanguineorũ notitiam, quàm quibuslibet aliis, nemo eſt qui velit inficiari. *o* Accedit, quòd qui pro reo teſtabãtur, ij vero ſimiliora omnia dicebant, eũ ab omnibus

n Accur. in l. diem proferre, §. ſi plures, ff. de recept. arb.

o L. octaui, ff. vnde cog. l. de tutela, ff. de in int. reſt.

ciuibus conſanguineis quatuor ſororibus, imo ab ipſa vxore pro Martino acceptum fuiſſe, ex ea iam triennali conuictu duos liberos ſuſcepiſſe: quo tanto temporis interuallo, niſi verè is eſſet qui putabatur, vix credi poteſt, vxorem non fuiſſe aliquo ſigno deprehenſuram. Denique teſtes pro reo faciunt, in fauorem tam matrimonij quàm ſuſceptæ prolis loquuntur. Quo in caſu ſi multi iudices inter ſe diſſiderent, ſemper eorum potior haberetur ſententia, qui reo vel matrimoniali cauſæ fauerent.p Idque ſic videtur ſenſiſſe & ſcripſiſſe Hermogenianus Iuriſconſultus, quum teſtium verba inter ſe pugnant.q

p L. inter pares, ff. de re iud. c. fin. eo. tit.

q L. lege Iulia, ff. de manumiſſio.

TEXTVS.

Ac in ipſis quidem teſtibus tria vel quatuor præcipuè notatu digna ſunt. Primo quatuor ſorores, de quibus iam diximus, tam honeſtæ ac integræ exiſtimationis matronæ, quàm quæuis aliæ in tota Vaſconia: quarum ea ſemper fuit oratio, vt iſtum dicerent fratrem ſuum eſſe Guerram, ipſius actricis maritum. Idem & pari conſtantia duo Martini ſororij, qui ſorores in matrimonium duxerant, affirmabant.

ANNOTATIO XXXIX.

Conſanguineorum aut affinium teſtimonia, inò parentum ipſorum, fratrum, ſororum, generorum

nerorum & ſororiorum, meritò non admittuntur, nec admitti debent: nempe ob nimium ſtudium quo erga ſuos tam propinquos naturali quadam vi afficiuntur.[a] Niſi in certis demum rebus, de quibus noſtri Interpretes latius ſcribunt, vnde duo tantum aut tria capita ad rem noſtram faciunt. Primum nempe, vbi tale quiddam ageretur, in quo propinquorum fides magis quàm aliorum requireretur:[b] quod fit in ætate probanda, aut quum agnoſci quempiam opus eſt (quale hoc eſt in quo verſamur) num de aliquo genere & familia ſit.[c] Alterum quum quis ad teſtimonium ferendum non à propinquo litigante, ſed ab ipſo Iudice, ex officio ſcilicet citatur:[d] quod & in hac cauſa contigit. Tertium, quum huiuſmodi teſtimonium ita propinquo prodeſſet, vt nemini obeſſet: verbi gratia, quum quis teſtaretur propinqui ſui innocentiam: quòd iſti nunc faciunt. Quod etiam in fratre, vel in hæreſeos cauſa, locum haberet. Itaque multi putarunt & ſcripſerunt, ei qui cædis poſtulatur, fratrem proprium teſtem citare licere, idque aduerſus Fiſcum vel Regem, quem ſolum habet aduerſarium: ſi cædem à ſe vis propulſandæ & ſui tuendi cauſa factam, docere intẽdit.[e] Quamuis enim Rex rei bona Fiſco vindicare contendat, tamen lucrum huiuſmodi pœnale & odioſum nullius momenti habetur, vtpote quod nonniſi cum ſalutis & honoris rei iactura contingere poſſit.[f]

a L. parẽtes, C. de teſtib.

b L. etiã matris, C. de proba.

c d. l. etiam Accur. & Bar. in l. 2. in prin. ff. de excuſ. tut.

d c. literas, de præſum.

e Bal. in d. l. parentes.

f L. ſi quis vxori, §. penul. l. ſi is cui, §. fin. ff. de fur.

TEXTVS.

Secundo, ex his teſtibus nonnulli interfuerunt nuptiis Martini & Rolſiæ, inprimis Catharina quædam Boeria, quæ iacentibus illis, media fere nocte comeſſationem (quam ab excitandi vocabulo le reſueil *appellant) attulit, quæ quidem certiſſima aſſeueratione eum eſſe contendit, qui Rolſiam duxit vxorem, quemq́; cum ea iacentem offendit. Tertio loco teſtes iſti magna ex parte proferunt notas quaſdam, quæ refutari non poſſe videntur: geſtaſſe ſcilicet Guerram in mandibula ſuperiore duos ſubnatos dentes, in fronte cicatricem, vnguẽ primi digiti depreſſum, tres in dextra manu verrucas, aliam in minimo digito, ſanguineam guttam in oculo ſiniſtro. Quæ omnia ſigna in reo extare comperiebantur.*

ANNOTATIO XL.

Mihi iſta legenti ſubit memoria Q. Fabij Maximi, qui à multitudine verrucarum, quibus ad ipſas mammas abundabat verrucoſus eſt cognominatus. Id quod Q. Sereni poetæ teſtimonio ſatis indicatur, quum ait:

Interdum exiſtit turpi verruca papilla.
Hinc quondam Fabio verum cognomẽ adhæſit.
Qui ſolus patriæ cunctando reſtituit rem.

TEX-

TEXTVS.

Accedit huc, quòd ex teſtiũ numero multi pateſaciunt Petri Guerræ cõſilium, qui cum vxore & generis in rei necem & exitium con iurauit: eouſque vt cum Ioanne Lozæo conſule Paleſienſi paciſci voluerit, ſi ad eius perniciem pecuniarum certam ſummam conferre vellet, ſe reliqua ſuppeditaturum. Illum autem reſpondiſſe, malle ſe ad eius ſalutem bona ſua expendere, quem ſuum eſſe conſanguineum, ab ipſo Petro ſæpenumero affirmante didiciſſet. Addunt famam eſſe apud Artigatẽſes, Petrum cum generis ſuis, inuita ipſa actrice, hanc perniciem miſero homini machinari & litẽ perſequi. Denique aliquot ex illis Petrum non ſemel audiuiſſe, quum hunc reum nepotem ſuum eſſe fateretur.

ANNOTATIO XLI.

In hoc genere, probatio quæ ex fama petitur, non videtur parui eſſe momẽti, propterea quòd verſamur in re valde obſcura, perplexa, & monſtri pene ſimili. Porro in huiuſmodi factis quoniam rei certitudo nonniſi magna cum difficultate comperiri poteſt, rumor & fama pondus idonei teſtimonij habent.[a] Quemadmodum exempli cauſa, ſi oſtendendũ ſit Antonium eſſe

[a] Doct. in c. Veniens 1. & c. præterea de teſtib.

Petri filium, aut ſimile quiddam, [b] vel ſi cuiuſpiam mors probanda ſit. [c]

b c. per tuas, de proba. c Bar. in l. 2, §. ſi dubitetur. ff. quē. teſta. aper.

TEXTVS.

Quarto, quotquot fere auditi ſunt teſtes; confirmant, hunc reum, quum Artigatum veniſſet, nominatim omnes ſalutaſſe qui Guerræ noti fuerant, vt quemque primo occurſu obuium habebat: Qui ſi in eo agnoſcendo nonnihil hæſitare videbantur, tum eum res præteritas in memoriam reuocaſſe, vt ſingulos ſic compellaret, Itane verò non meminiſti, quum ante decem, duodecim, quindecim, vel viginti annos tali in loco eramus, quum illa agebamus, cui cœtui is & ille interærat, atq; huiuſmodi inter nos ſermones habebantur? Quin & cum ipſa actrice multa dixiſſe & repetiiſſe (vt antea dictum à nobis eſt) eorum quæ vir & vxor maximè occulta inter ſe habere ſolent. Diſertè vero, quum primum aduenisſet, ita præcepiſſe, Cedo huc fœmoralia illa alba, quæ intrinſecus multitio albo munita ſunt, quæ quum hinc proficiſcerer, in tali ciſta reliqui. Id verò ipſa actrix verum eſſe fatebatur, & compertum eſt fœmoralia illic fuiſſe.

ANNOTATIO XLII.

Non memini me legere, extitiſſe vnquam quenquã, qui tam felici memoria res huiuſmodi ſingulares teneret, loca, verbaque ipſa, præſertim à tanto temporis interuallo atque erga tot varios homines: niſi fortè ſuccurrit de Adriano Imperatore. *d* Cyrus quidem Perſarum rex, quũ in ſuo exercitu eſſet, qui magno alioqui hominũ numero conſtabat, omnium militum & tribunorum nomina tenebat: quumque copias receníeret, omnes illos nominibus propriis compellabat. *e* Id quod de L. quoque Scipione refertur. *f* Mithridates duabus & viginti linguis loquebatur, quot ſcilicet populis imperabat: vt abſque interprete cum omnibus verba facere poſſet. *g* Cyneas Pyrrhi legatus, vno die quo Romæ fuit, omnia ſenatorum equitumque Romanorũ nomina edidicit. *h* Seneca de ſe ipſo prædicat, duo nominum millia, quo ordine commemorari audiſſet, recitare ſe potuiſſe: ducentos præterea verſus ordine inuerſo, vt ab vltimo initium fieret. *i* Quod & de Theodecte Ariſtotelis diſcipulo, *k* & Metrodoro philoſopho (qui Diogenis Cynici æqualis fuit) narratur *l*. Commendatur inſuper I. Cæſaris, Scipionis, Luculli, Hortenſij, Portij Latronis Romanorum, memoria: item Themiſtoclis, Carneadis, & Charmidis, Græcorum. *m* Sed his omnibus iſte, mea quidem ſententia, præſtat, ſiue arte ſiue vſu tam tenacem memoriam comparauerit, qui a Iudicibus toties rogatus, nunquã à vero aberraſſe vel latum vnguem deprehendi

d Dion & Spartianus in vita Adriani.

e Herod. in Clio.

f Solin. Polyhiſt. cap. 7.

g Appia. Alexan. in bello Mithrid.

h Plut. in Pyrrho.

i Seneca in prol. declamationum.

k Cic. in 1. Tuſcul.

l Solin. loco citato.

m Plin. lib. 7. cap. 24. Cic. 2. de orat. & 1. Tuſcul.

potuit. Id tamen diſertè excipi velim, (quod & ſuprà monui n) non conſtituiſſe me tam ſceleratum nebulonem & impoſtorem cum claris illis & illuſtribus viris conferre.

n Annot. 21.

TEXTVS.

At iſta ſanè non potuit ab vllo monitore vel nomenclatore diſcere. Fieri quidem poteſt, vt certa quædam verba memoriter narrentur, nonnulla indicia proferantur. Sed tot variorum hominum notitiam proferre, quos nunquam noris, ac ne videris quidem, id vero humanis viribus maius, nec aliter quàm magia vel arte quadam damnata perfici poſſe videtur. Sed de argumēto ex teſtium dictis ſumpto hactenus. Secundo loco huc facit, quod de ſimilitudine rei cum ſororibus Guerræ compertum eſt, quæ quidē multis affirmantibus (quū inquiſitio ea de re ex officio inſtitueretur) tanta eſſe proditur, vt ouum ouo non magis eſſet ſimile.

ANNOTATIO XLIII.

Prouerbia vetera, ad rerum ſimilitudinem exprimendam, ex ouis, lacte, aqua aut apibus ſumi fere conſueuerunt. Non vides, inquit Cic. verum eſſe prouerbium, de tanta ouorum ſimilitudine, vt alterum ægrè ab altero diſcernatur? Et non

non multo pòſt, Vt ſimilia, inquit, ſunt oua ouis, & apes inter ſe *o*. Soſia quoque apud Plautum, quum Mercurium videret, ſua forma aſſumpta ſimillimum ſibi eſſe dicebat *p*,

o Cic. 2. Acad.

p Plaut. in Amphitr. & in Menach.

Neque lac lacti magis eſt ſimile, quàm ille ego ſimile'ſt mei.

Apud eundem Meſſenio, quum de Soſide cum Menæchmo loquitur,

Neque aqua aquæ, inquit, *neque lacte eſt lacti, crede mihi vſquam ſimilius,*
Quàm hic tui eſt, tuq; huius.

TEXTVS.

Accedit ad hæc, quòd quum Rolſia, quæ tam acriter reum perſecuta eſt, cum eo conferretur, ac ipſe reus iuſiurandum ei deferre non dubitaret, neque recuſaret quin atrociſſima morte afficeretur, ſi ſe non eſſe Martinũ Guerram deieraret, nunquam auſa eſt iurare, ſed hæſitabundæ inſtar negauit ſe ſacramentum exigere aut reddere velle. Quo nihil apertius fieri poteſt, vt ipſa dolo & calumniæ affinis eſſe videatur.

ANNOTATIO XLIIII.

Manifeſtę turpitudinis eſt (inquit Paulus Iureconſultus) & cõfeſſionis, nolle nec iurare nec iuramentũ referre *c*. Nã & omnib. aliis probationib. deficiẽtib⁹ *d*, imò & pſumptione aliqua aduerſus

c L. manifeſtæ, ff. de iureiur.

d L. fi. §. licentia. C. de iur. delib. l. tutor pupilli, ff. de iureiur.

eum qui defert ſe prodente, & probationibus eum prementibus, fas tamen ei eſſe, ad rei veritatem indagandam & litem expediendã iuramentum aduerſario deferre.e Qui quidem tùm iuramenti præſtationem defugere non poteſt: vt qui ex litigatore iudex factus, idq; ex aduerſarij voluntate ac cõſenſu f. Quod ſanè ſic à me dictum accipi velim, vt minimè pugnet cum iis quæ noſtri Interpretes fuſius in locis communibus diſſerunt, & nos paulò pòſt ſcripturi ſumus. g

e L. fin. C. de fideicom.

f Doct. in d. l. manifeſta.

g Annot. 65.

TEXTVS.

Quartò hoc quoque affertur, quod toto annorum circiter quatuor ſpatio, quo coniugum inſtar iſti conuixerunt, actrix nunquam audita eſt conqueri. Imò quoties quiſpiam affirmauit non eſſe eum verum maritum, illum non dubitabat duriori oratione mẽdacij inſimulare, affirmans ipſummet Martinum eſſe, aut omnino malum quempiam genium ipſius exuuio tectum: à ſe enim indubitatò agnitum fuiſſe. Quòd ſi quis idem deinceps dicere audeat, ſe effecturam vt ſuo magno malo dicat.

ANNOTATIO XLV.

Firmum mehercule argumentũ & grauis coniectura, vt ſtatui poſſit reum calumniis circumueniri,

teniri, quum conſtaret actricem antea, licet monitam conſtanter & pugnaciter aduerſus quoslibet maritum eſſe aſſeueraſſe: deinde nouum nullum argumentum nacta, quaſi ſui oblita, ſuam ipſa orationem refelleret. Quod valde indignum ac turpe eſt, nec ſuſpicione caret. h

h *L. generaliter, C. de non nu. pec. c. per tuas, de proba.*

TEXTVS.

Inſuper apud multos ſolebat illa conqueri, quòd Petrus Guerra cum vxore, ipſius actricis matre, eò ſe volebant impellere & inuitam cogere, vt reum in ius vocaret, ſuumque non eſſe maritum contenderet. Vt ne à minis quidem abſtinuerint, ſe illam, niſi morem gereret, domo exacturos eſſe.

ANNOTATIO XLVI.

Et in hoc quoque argumento magna doli ſuſpicio præbebatur, vt facilè quis putaret reo inſidias ſtrui, & quicquid huius ab actrice fieret, id omne metu, aut coactione exortum eſſe, aut certè reuerentia Petri Guerræ, & matris, quam ille in matrimonio habebat. Quanquam enim non facilè præſumendum eſt quid terroris metúſue cauſa fieri i, tamen vbi apparet intercelsiſſe importunam ſollicitandi & cõminandi perſeuerantiam, ſatis ſuperque de metu probatũ eſt k, præſertim ſi inſpiciatur, quales ſunt ij qui minis vtebantur, nempe vitricus & mater l: eo ma-

i *L. merito, ff. pro ſoc. §. qui dolo, ff. de reg. iur.*
k *Inn. in c. petitio, de iureiur.*
l *L. 1. §. quæ oneranda, ff. quar. rer. act.*

gis ſi loci ratio habeatur, nempe in eorũ domo, vbi actrix quaſi captiua detinebatur *m*: deniq; ſi ſexus quoque expendatur, quòd fœminæ leuib. rebus commouentur & percelluntur *n*, vel etiã facilè perſuadentur, ac perſuaſiones non minus apud eas quam minæ & vis valent *o*. Neque non illud aduertendum, eam ſubinde de vitrico & matre ob eam rem conqueri ſolitam *p*.

TEXTVS.

Quintò & hoc ſuſpicionem augebat, quòd quum reus aliquando alia de cauſa in carcerem coniectus fuiſſet ex autoritate Seneſchalli Toloſani, inſtante quidem & perſequente Ioanne quodam Scorneboulo minore natu, ſed operam clanculum accommodante Petro Guerra, fuit tum de hoc ementito mariti nomine nonnullus ſermo iniectus. Cuius rei cauſa non deſinebat ipſa actrix de Petro Guerra & vxore conqueri, qui ſe ad accuſandum maritum impellere conabantur, quòd eorum conſilium eſſet, vt ille vel rei capitalis damnaretur, vel triremiũ pœnæ addiceretur. Ex hoc carcere quum à Seneſchallo cauſa iudicata liberatus eſſet, reuerſus Artigatum officioſè ab actrice domi, velut maritus accipitur: quæ ei, ſimulatque venit, induſium recens ſuppeditauit, pedes lauit & in complexum ipſum admiſit.

m L. qui in carcerem. ff. quod met. cau.
n Gl. & doct. in c. cũ locũ, de ſponſal.
o L. 1. §. vlt. ſiq; adeo, ff. de iniur. l. vnica, in ver. volentibus, C. de rap. virg.
p L. qui in aliena, §. fi. ff. de acqui. har. & ibi doct.

ANNOTATIO XLVII.

Libet admirari inauditam veteratoris calliditatem: quæ tanta eſt, vt ſi quis vnquam facinoroſus in ſuo ſcelere ob ſingulare artificium excuſari debuit, [a] iſte præ cæteris dignus videatur, tanquam alter Phrinondas, cuius meminit Ariſtophanes, aut verus Siſyphus.

a L. ad beſtias, ff. de pœnis.

Siſyphus in terris, quo non aſtutior alter.

Quum enim iam ſuppoſitio & crimen falſi patefieri inciperet, ſic tamen potuit iudicibus verba dare, imò ipſi actrici, cuius ſe maritum dicere pergebat, vt cauſæ ſtatu à iudicibus conſtituto laxatus, ab ipſa tanquam maritus admitteretur.

TEXTVS

Poſtero tamen die, ſummo mane, Petrus Guerra, procuratorio nomine tanquam ab actrice cōſtitutus, generis comitantibus armatis, rurſus cuſtodiæ mãdatur: etiãſi nulla accuſationis noua capita extarent, neq; dum actrix ipſum Petrum procuratorem eius rei cauſa cōſtituiſſet. Id enim veſperi demum eo ipſo die factum eſt, vt ipſe Petrus poſtea confeſſus eſt.

ANNOTATIO XLVIII.

Erat igitur falſus procurator. Eo quippe nomine in noſtro iure vocatur, nō modo is qui nul-

lum vnquam neque ante neque poſtea mandatum accepit ab eo, cuius ſe procuratorem dicit, *b* aut qui habuit quidẽ, ſed reuocatum eſſe ipſum non latuit *c*, verùm etiam is qui vel mandatum prætergreſſus eſt, vel qui executionis tempore *d* nullum mandatum habuit: imò qui rectè & ordine conſtitutum ſe eſſe neſciens, ſe interim pro procuratore geſſerit *e*. Sed in Petri facto hoc incidit, quod quum initio falſus eſſet, ex poſtfacto verus & legitimus eſſe cœpit, per actricis ratihabitionem, vt omnia quæ geſsit, autoritatem habuerint *f*. Accedit quòd quæcunque ante procuratorium munus demandatum fecit, ea prætoris Regienſis autoritate geſta ſunt: quod expendi meritò debet. Alioqui ſi autoritate Curiæ geſta eſſent, eſſet quædam in eo ambigendi cauſa: propterea quòd lex obreptionem quamlibet & falſæ rei ſubiectionem, quæ in Principis conſiſtorio fit *g*, tantopere auerſatur, & tam ſeuerè damnat, vt quicquid ibi à falſo procuratore geritur, nulla ſequenti ratihabitione confirmari multis poſſe videatur *h*.

b L. ſi procuratori falſo, & ibi Accur. ff. de cond. ca. da. l. licet, C. de procur.

c c. ex parte Decani, de reſ.

d L. falſus. et ibi gl. et do. C. de fur. gl. & doct. in d. c. ex parte.

e L. quæro, ff. de eo qui pro tutor. l. 3. §. ſed & ſiquidem, ff. iud. ſol.

f L. licet, ff. de iud. l. 3. §. falſus, ff. rẽ rat. hab.

g L. fin. C. de iis qui à nõ do. man.

h Bal. in l. falſus C. de fur. Panor. in c. nonnullis. §. ſunt & alij. de reſcrip.

TEXTVS.

Quæ tamen omnia ipſius actricis voluntate nequaquam fieri, ſatis docent cùm alia quæ ſuprà commemorata ſunt, tum verò amica illa & omnium officiorum plena noctis ſuperioris iterata conſuetudo. Quin & ſimulatq; denuo

comprehenſus eſt, illi veſtes & pecunias, quibus ſe ſuſtentaret, miſit.

ANNOTATIO XLIX.

Nimirum hæc omnia longè ab eo aberant, vt ipſa in iudicio aduerſus eum contenderet, aliúmue quàm Martinum genuinum maritum putaret, quem tantis officiis proſequebatur.

TEXTVS.

Quæ quum ita eſſent omnia, magnam cauſam Senatus habere videbatur, cur abſoluendum reum cenſeret, præſertim quum (præter omnia illa ſuperiora) hæc ſententia cauſæ matrimonij, prolis, & ipſius rei, faueret.

ANNOTATIO L.

In rebus dubiis lex vult & iubet ſententiam in matrimonij fauorem ferri: a vt noſtri iuris interpretes dicere non dubitarint, præſumptionē quæ in eius fauorem capi debet, omni qualibet alia potiorem eſſe. b Acceſsit fauor, qui impendendus eſt liberis ex illo connubio ſuſceptis, vt planè legitimi efficiantur. Etſi enim ob ignorantiam & bonam fidem Rolſiæ, noſtri Canones ita ex æquo & bono explicari poſsint, vt nati legitimi habeantur & dicantur: c tamen ſi res ex veritate æſtimetur, tales non ſunt, nempe ex

a c. fin. de re iud.
b Panor. in c. transmiſſa, qui fil. ſint leg.
c c. 2. c. referen. c. ex tenore, qui fil. ſint leg. Gl. in c. cum inhibit. §. fin. de clandeſt. deſponſa.

ſtupro & adulterio procreati. *d* Tertio loco cauſa rei qui in iudicio periclitatur, ita ſemper fauorabilis viſa eſt, vt noſtrarum legum autores ſæpe iubeant, vt in rebus dubiis & ambiguis pro eis reſpondeamus, vtq; magis ad abſoluendum quàm damnandum reum propēdeamus, *e* maximè in criminibus publicis & capitalibus, *f* in quibus honor & vita agitur: Idque etiam quum argumenta accuſatoris, ſiue actoris, aliquanto videntur firmiora iis, quæ reus pro ſe adducit. *g* Eius ſententiæ rationes ex Ariſtotele aliquot reddere poſſumus. Quarum hæc prima eſt, quòd non eſt in arbitrio rei, vt quoties vult, cauſam dicat, vel in iudicio ſtet: quum contrà actori, quoties libet, liceat contendere *i*. Ita fieri poteſt, vt quum ad reſpondendum vrgetur, præcipuum ſuæ cauſæ & defenſionis firmamentum prætermittat. Altera eſt quòd quemadmodum viator dum iter facit, viam aut ſemitam tutiorem inſiſtere debet, *k* ita in rebus obſcuris & impeditis, Iudex eam ſententiam amplecti debet, in qua minus eſt periculi *l*. Iam verò nemini dubium, quin multis partibus tutius ſit, ſontem liberari, quàm inſontem damnari *m*, atque adeo mitiorem ſententiam & humaniorem ſequi, quæ ſcilicet ad abſoluendum reum pertinet *n*.

d L. 3. C. ſol. mat. c. ſigēs, 56. diſt.
e L. Arrianus, ff. de actio. et oblig. l. fauorabiliores, ff. de re. iur. c. ex literis, de proba. c. inter. de fid. inſt. c. cum ſint, de reg. iur. in 6.
f L. inter pares, ff. de re iud.
g Gl. c. Cleri. 81. diſt. Panor. in. d. c. ex literis.
Ariſt. Prob. ſect. 29. cap. 13.
i L. purè. §. fi. ff. de doli exc. l. 1. C. vt nem. inuit. ag. vel accuſ. cog.
k c. ad audiētiā de homi. cretal. d. l. Arrian.

l L. vbi enim. ff. de rebus dub. gl. in c. 2. de reg. iur. in decretal. *m L. abſentem, ff. de pœn.* *n L. prox. ff. de iis quæ in teſt. del.*

TEXTVS.

Quam ſententiam, vt æquiorem, ſi ſequi liberet,

liberet, coniecturæ & argumenta ſuprà ex aduerſo obiecta, parum aut nihil habere virium videntur. Nam quod ad numerum teſtium attinet, facilè reſpondetur, quòd (vt iam dictum eſt) teſtibus qui pro reo loquuntur, etiamſi pauciores ſint numero, plus fidei habendum eſt, præſertim quum veriſimiliora dicant.

ANNOTATIO LI.

Non tam ſpectandus eſt teſtium numerus ac multitudo, quàm ipſorum teſtimoniorum veriſimilitudo[o]: ita vt qui veriſimiliora dicunt, plus fidei quàm alij mereantur, etiamſi numero longè excedant[p].

o c. licet cauſam, de proba. c. in noſtra, de teſt.

p l. ob carmen, §. fi. ff. de teſti.

TEXTVS.

Et in matrimonij, liberorum & ipſius rei fauorem loquantur & affirment.

ANNOTATIO LII.

Tria hæc digniſſima erant, quorum ratio magna pro reo haberetur. Nam primo, plus fidei adhiberi ſolet duobus qui de certo facto affirmant, quàm mille aliis[q]. Præterea in dubio, fauor vel matrimonij, vel liberorum vel ipſius rei multum ponderis ad cauſam afferunt, vt in hanc partem iudices propendeant, vt modò dictum eſt[r]. Multo igitur magis vbi hæc omnia ſimul concurrunt[s].

q Accur. in l. diem, § ſi plures, ff. de recep. arb.

r L. Arrian. ff. de actio. et oblig. c. fi. de re iud.

s Auth. itaque, C. com. de ſuc.

TEXTVS.

Iam quod ad Carbonem Barrautium, Tillij auunculum, attinet, adiunctis aliis teſtibus, qui multa ſingularia aduerſus reum proferunt, fuerunt omnes illi firmis rationibus refutati, quæque illis obiecta fuere, valere comperta. In militis oratione nullum eſt momentum, qui non eſt ipſe auditus, ſed alij quidam, qui ſe ab eo audiſſe affirmant.

ANNOTATIO LIII.

Quoniam teſtis de iis teſtari debet, quæ aliquo corporis ſenſu percipere & comprehendere poteſt, non quod ab alio auditione accepit a: idcirco teſtimonium de auditu, etiam ſi præſumptionem qualemcunque inducat b, ad fidem tamen faciendam non eſt efficax c. At ſi ad probandum vel conſanguinitatis gradum vel affinitatis propinquitatem, impediendi matrimonij cauſa d, huiuſmodi teſtimonium ſi rumore & fama aliiſque adminiculis ac circunſtantiis fulciatur, valet e. Idem ſentiendum eſt, ſi quid ex longa vetuſtate repetēdum eſt f, puta ſi quis agri ſui antiquum limitem probare velit g. Illud tamen ſanè intelligendum eſt, ſi teſtis ſe à tertio quodam audiiſſe dicat. Nam ſi quis quid ſe ab altero litigantium audiuiſſe teſtetur, hoc teſtimonium firmiſsimum & locupletiſsimum eſt h.

Vt ſi

a L. teſtium C. de teſtib. c. hoc videtur, 22. q. 5.
b. Archid. in d. c. hoc videtur.
c c. tam literis, c. licet ex quadam, de teſtib. c. tua, de conſan. et affin.
d d. c. licet ex quadam.
e c. praterea de teſt. Panor. in d. c. licet ex quadam.
f L. ſi arbiter, ff. de pro.
g Bal. in l. cōuenticul. C. de epiſc. & cler.
h Accurſ. in l. 2, §, idem Labeo ff. de aqua plu. gl. in c. hoc videtur, 22. q. 5.

Vt ſi quis audiit Antonium polliceri Petro centum coronatos, quos nunc ab eo Petrus exigit. Aut inter Lucretiam & Camillum ſponſalia per verba de præſenti interceſsiſſe, quum de hoc matrimonio controuerſia moueatur.[i]

i Doct. in l. ſi arb. & in d. c. tam literis.

TEXTVS.

Nec obſtant ſigna & notæ quæ à teſtibus proferuntur. Ad illa enim ſuperioribus verbis ſatis reſpõſum eſt, teſtes abunde refutatos eſſe. At verò pauca ab eis ſigna afferuntur, quæ non in reo quoq; extare appareat, ſi vnum illud de proceritate & craſsitudine corporis demas. Ad quod etiam facilè reſponderi poteſt. Nam (quod ab aliis teſtibus idoneis affirmatur) licet reus, quum domo proficiſceretur, ob gracilitatem videretur procerior & altior, poſtea tamen accedente ætate, potuit corporis & fæmorum craſsiorem magiſque compactam molem acquirere.

ANNOTATIO LIIII.

Frequens rerum vſus efficiet, ne lector miretur quod hic audit dici. Crebrò enim videmus tum viros tum fœminas primis annis tenui & macilenta eſſe corporis ſtatura, qui tamen per ætatis incrementum, obæſo, craſſo & vaſto corpore redduntur. Cuius rei ne hodierna exempla (vtpote quibuſdam moleſta futura) recen-

ſeam, quæ à vetuſtate ſunt maximè memorabilia, ea afferam. Leo Byzantinus, ſophiſta prima adoleſcentia valde macer, quum ad iuſtam viri ætatem perueniſſet, adeo obæſus extitit, vt quũ legatus Athenas veniſſet, & editum quendã ſuggeſtum tumultus ſedandi gratia conſcendiſſet, populus eum tam prominente ventre deformem cõſpicatus, totus in riſum ſolueretur. Tum ille, Quæ, inquit, Athenienſes ridendi vobis cauſa eſt? Scitote mihi vxorem eſſe multo etiam me craſſiorem. At quum inter nos concordiam colimus, vnus ambos lectulus facilè capit: quum autem rixamur, ne tota quidem domus ſatis eſt. Hæc hominis oratio tantum placuit & valuit apud populum, vt ſeditio ipſa ſtatim componeretur. Dionyſius Heracleota tyrannus, adoleſcens macilẽtus, paulatim in eam aqualiculi prodigioſam vſque immanitatem excreuit, vt noctu cogeretur hirudines magno numero tota cute adhibere, quæ illi ſuperuacuum humorem exugerent, qui vaſtam ei corpulentiam illam conciliabat. Mitto Ludouicum illum Regem Franciæ ordine XXXIX, qui ab anno 1110 ad 1137 floruit, cui ob eam cauſam Craſſi cognomen inditum fuit.

TEXTVS.

Nihilo rectius obiicitur diſſimilitudo quæ inter reum & Sanxium Guerram Martini filium cernitur. Nam præterquã quòd inde petita iudicia (quod antea demonſtrauimus) pa-

rum

rum firma ſunt, extat contraria probatio ex ſimilitudine quæ inter reū & Martini ſorores extare cōſpicitur. Quæ ſanè eo maiorē vim habere debet, quando plures perſonæ cum vna cōferuntur, & quidem eiuſdem propemodū ætatis ſunt cum ea, cuius ſimilitudo quæritur.

ANNOTATIO LV.

Tradunt arithmeticæ & geometriæ periti, quo maiori duo quædam inter ſe proportione reſpondent, eo firmius ab altero ad alterum peti argumentum k. Quale exempli cauſa, fieret inter duos doctos & probos, vel magnos & robuſtos: quòd inter eos maior conſenſio & ſympathia futura eſt, quàm inter eos quorum alter doctus & probus, alter indoctus & improbus eſſet: vel hic firmitate roboris præditus, ille imbecillis atq; infirmus. Sic argumentum quod ab vno ad aliud ducitur, eo magis valet, quo maior eſt ſimilitudo inter eá quorum alterum cum altero confertur. Vnde elicitur à noſtris Interpretibus regula, Inter res ſimiles facile alteram ab altera argui, inter diſsimiles difficile l. Quare vt ad cauſam huius Tillij cum Martini ſororibus redeamus, argumentum ſimilitudinis longè melius quadrabat (quòd ex eis duæ illi ferme æquales, reliquæ duæ paulo ætate minores erãt) quàm ex eo, quòd qui nondum ex ephebis exceſſerat, vtpote natus XIII annos, cum Tillio triceſimumquintum ætatis annum agente, conferebatur.

k Ariſt. Ethic. li. 5.

l L. in rem §. item quæcunq; ff. de re. vend. l. ſed cum patrono, ff. de bon. poſſeſſ.

TEXTVS.

Quod porro obiicitur reum linguæ Boſcorum ignarum eſſe, reſponſum ex rei geſtæ veritate facile poteſt colligi. Nam Iudices inquirendo compererunt, Martinum è natali ſolò infantem, id eſt bimum, aut eo paulo fortaſſe grandiorem, allatum fuiſſe.

ANNOTATIO LVI.

Latini infantem vocant ad ſeptennij vſque ætatem *b*, quaſi neſcium fari, quòd tenella ætate impeditus, vix ſoluere linguam poteſt, vt articulatè verba efferat. Quocirca Chryſippus dicere ſolebat, pueros qui incipiunt balbutire, & nonnullas voces edere, iam loqui illos quidem dici poſſe, re tamen vera neque fari neque quicquam proloqui. Quæ quum ita ſint, mirandum non eſt in noſtro hoc facto, ſi reus linguam eius regionis non teneret, è qua ab ipſa prima ætatula, annos vix amplius duos natus, allatus fuerat, vt eam nunquam diſcere potuerit.

b Accurſ. in l. ſi infanti, C. de iur. delib. gl. in c. nullus, de temp. ordi. in 6.

TEXTVS.

Nec obſtat etiam quicquam, quòd Tillius ab ipſa adoleſcentia ſceleratæ & omnibus vitiis contaminatæ vitæ fuerat: quum reum illum non eſſe, ſed potius Martinum Guerram conſtet.

ANNOTATIO LVII.

In cauſa capitis antequam Iudex de re pronũtiet, duo in primis plana ei fieri oportet. Vnũ, vt crimen de quo quæſtio eſt inſtituta, verè deſignatum ſit & admiſſum [c]. Alterum, vt de quo reo ſupplicium ſumere intendit, is ſit, quem facti autorem aut certè affinem eſſe culpant [d].

c L. 1. §. item illud, ff. ad Sillan. l. 1. C. Vbi cauſ. fiſcal.

d L. ſancimus, C. de pœn.

TEXTVS.

At ex aduerſo, ipſi quoque actores non minus conſentanea, quæ exciperent, habebant, quibus rationum momenta quas reus afferebat, eleuarent. Nam quòd primo loco dicitur, plus fidei teſtibus affirmantibus habendum eſſe, quales ſunt qui à reo ſtant: id in iſtius cauſà locum non habet: quum actoris teſtes non minus affirmantes ſint, vt qui reum eſſe Arnoldum Tillium affirmante oratione pronuntient. Accedit, quòd negatiua oratio quam vſurpant, dum iſtum eſſe Guerram pernegant, facilè probationis pondus habet, quippe quum adeo ſcitè & accommodatè ad loca, tempora & perſonas reſtringunt, vt tritæ illius regulæ cancellis iam minimè teneamur, qua docetur duos teſtes affirmantes ſexcentis inficiantibus potiores eſſe.

ANNOTATIO LVIII.

Hæc quidem regula ſeu ſententia per vniuerſum ius ciuile paſſim extat, plus credendum eſſe duobus teſtibus affirmantibus, quàm ſexcentis aut mille negantibus *e*. Cuius cauſa eſt, quòd (vt ait Philoſophus) is melius & certius aliquid nouit, qui quod agitur, affirmando nouit, quàm qui negando *f*. Et verò ea rerum natura eſt, vt negationis probatio propemodum in eorũ numero recenſeatur quæ præſtari non poſſunt *g*. Qui enim oſtendi queat Antonium nunquam fuiſſe Toloſæ? Vnde id quoque contrà colligi poteſt, huic axiomati locum non eſſe, vbi tanta illa probandi difficultas abeſt *h*. Exemplum accipe. In academia, vbi ſtudioſus quiſpiam examinandus & ad Doctoratum promouendus eſt, ſeptem ad minimum Doctores intereſſe oportet *i*. Ex quibus ſi tres idoneum eſſe iudicent & probent, quatuor reliqui ſibi hoc axioma tum ita verum eſſe ſi videri negent, horum teſtimonium, qui numero plures ſunt, proculdubio obtinebit *k*. Quin & Accurſij deciſio notanda eſt *l*, procedere prædicta, ſi teſtes negationem quandam vagam & incertam teſtarentur. Nam ſi certis locorum, temporum & perſonarum circunſtantiis eam definiãt, quia ad hunc modum coarctata facilè probari poteſt *m*, qui eam pro teſtimonio dicerent, eorum non leuior quàm affirmantium fides videretur *n*. Veluti ſi Antonius accuſatur Petrum Toloſæ Calend. Octob. 1560 interfe-

e Accur. in l. diem, §. ſi plures, ff. de arbi.

f Ariſt. Metaph. lib. 3.

g L. actor. C. de proba. c. ſuper hoc, de renuntia. c. quoniã contra. de pra.

h c. propoſuiſti, & ibi doct. de pro.

i L. pen. C. de profeſſo. & med. lib. 11.

k c. in noſtra. de teſtib.

l Accur. in d. § ſi plures.

m L. optimã, in fi. C. de con. ſtip. c. tertio loco, de praſum.

n Doct. in l. in illa, ff. de verb. oblig.

terfeciſſe, idque verum eſſe teſtes affirmant, alij contrà illam cædem ab eo commiſſam negant, quem eo die Lutetiæ viderint, ſi pari numero fuerint, tantūdem fidei merentur: imò & eò plus, quòd ad innocentiam docendam eorum verba ſpectant o, quum alij reo periculum ſua accuſatione creent, & ſontem eſſe contendant p.

o c. ex literis de proba. c. inter, de fid. instr.

p Accurſ. in l.1. ff. de itin. actuq; pri.

TEXTVS

Alterum eſt, & quidem in hac cauſa potiſsimi ponderis, quòd teſtes, qui tanta aſſeueratione reum eſſe Martinum Guerrā dicebāt, errorem poſtea agnouerunt, & in Senatu de ſua ſententia deceſſerunt, vti poſtea dicetur.

ANNOTATIO LIX.

Hîc naſcitur difficultas, viderique poteſt ſecundæ teſtium orationi parum eſſe habendum fidei, qui à ſuperiori illa recedunt: tum quia modo aiunt, modo negant c, ſibi non conſtantes, atque adeo ipſa verborum pugnantia & contradictione ſeipſos ſatis refellunt d. tum quia peieraſſe videntur: qualium hominum teſtimoniū repudiari debere, nemini eſt obſcurum e. Quòd ſi cui porro eorum teſtimonio fidem adhiberi cōuenit, hoc in omnium primo faciendū videtur, quippe quod cum iuriſiurandi religione dictum fuit f. Verùm totam hanc difficultatem facilè ſoluemus, ſi æquiſſimū eſſe intellexerimus, vt

c L.2. l. qui falſo, ff. de teſtib. l. eos, C. de teſtib.

d l. penul. §. 1. ff. quando dies leg. ced.

e c. teſtimonium, de teſtib. Accur. in l. Lucius, ff. de iis qui not. infa. & l.3. §. lege Iulia, ff. de teſtib.

f c. ſicut. de teſt.

qui vel errore deceptus, vel ab aliquo circunuentus falſum teſtatus eſt, ſtatim vbi errorem animaduertit, eum agnoſcat, & dictum retractet[g]. Itaque non ſolùm in ipſo temporis articulo, aut certè aliquanto poſt (quod procul dubio permittitur[h]) verùm etiam quantocunque temporis ſpatio interiecto, idem facere licet, ſi nempe vel tum demum errorem cœpit deprehendere[i], vel certè cauſa aliqua recens occurrit[k]. De quorum vtroque Iudicis erit cognoſcere & ſtatuere[l]. Alioquin enim ſi teſtis pro ſuo libitu, & carnis procacitate, maximè poſt longum interuallum, quæ ſemel dixerit vel negare vel mutare vel corrigere vellet, non eſſet admittendus: nempe quia ſubornationis metus ſubeſſe videretur[m].

g c. Præterea. de teſt. Accur. in §. quia vero de teſt. nouel. col. 7. Bar. & alij in d. l. eos.

h c. accuſatus, §. licet, de hæretic. in 6.

i Panor. et alij in d. c. præterea.

k dicto §. licet.

l Gl. in c. an ſit, de appel. Doct. in d. c. præterea.

m Doct. in d. l. eos, & d. c. præterea.

TEXTVS.

Nam quod ad notas illas, cicatrices, & ſigna attinet, quæ in oculis, fronte, manibus & vnguibus rei extare deprehenduntur, quæ in Martino quoque extitiſſe feruntur, excipi poterit, earum rerum partem quandam (nempe verrucas, ſanguineam guttam & depreſſum vnguem) ſic oſtendi, vt ſingulæ ſingulis teſtibus affirmentur: vt teſtes ſingulares eſſe appareat: qui nihil probant, etiam ſi ſexcenti tales producerentur.

ANNO.

ANNOTATIO LX.

In probationibus & teſtimoniis certum & conſtitutum eſt, ſingularibus teſtibus nihil probari [n], etiamſi innumeri ſint [o]: quod de ſuo quiſque ſigillatim facto teſtatur, vt ſic quidem vnius duntaxat teſtis locum occupet, vox autem vnius, quantacunque dignitate, amplitudine vel autoritate polleat, vox nullius ſit [p]. Quod à Cicerone alicubi elegantiſſimè diſputatur & docetur [q]. In certis tamẽ cauſis verum eſt (vt quidem nonnulli interpretantur) ſingulariũ teſtium iuſtam eſſe probationem, puta ſi infamiam, furorem, hæreſim, aut quidpiam in genere probari oporteat, aut [r] actum quendam, qui in ſe nullam neq; loci neque temporis finitionem requirat, veluti iuriſdictionem, electionem ſepulturę, rumorem & famam [s]. Vnde plerique neſcio qua cauſa adducti, exiſtimarunt ad hominem hæreſeos conuincendum vel duos teſtes ſufficere, etiamſi de aliis atque aliis hæreſeos capitibus teſtentur [t]. Omnes enim hæreſes, tametſi variis nominibus deſignentur, tamen in eandem impietatem conuenire & coniunctas eſſe [u]. Verùm hæc ſententia nullo iuris loco nititur nec confirmatur: quãuis nonnulli (vt ait Panormitanus) leui quadam & inconſiderata interpretatione ducti diuerſum ſcripſerint [x]. Quin & pariter illud falſum eſt, huiuſmodi teſtes in actu vniuerſali aut generali locupletes cenſeri [y]. Etenim conſuerudo eſt

n L. ob carmen, §. fi. ff. de teſtib. c. bona. l. 1. de elec. c. licet ex quadam. de teſtib.

o L. iuriſiur. & ibi Bal. C. de teſtib. d. §. fin.

p L. maritus ff. de quæſt. l. iuriſiur. & d. c. licet.

q Pro Forteio.

r Innoc. in c. qualiter, l. 2. de accuſa. Bal. in l. 1. C. qui num. tutel.

s Guid. pap. in dec. q. 54.

t Iac. Butr. in l. Arria. C. de hæret.

u L. quicunq; verſ. idcirco, C. de hæret. c. penult. eo. tit. in 6.

x Panor. cõſ. 42. vol. 1.

y c. nihilominus, & ibi gl. 3. q. 9.

quiddam in ſe generale, ad omnes vnius ciuitatis, regionis aut etiam prouinciæ homines ex æquo ſpectans z. At in ea docenda non ſatis eſt, quod teſtes ſeparatim de variis actibus teſtimonium dicant, ex quibus conſuetudo introducta ſit, niſi duo ſaltem extent, qui ſingulos actus ſimul viderint a. Sanior ergo eſt contraria opinio, & iure optimo apud Curiarum ſupremarũ Patres præfertur, qui temere nolunt pronuntiare, ſed omnia iuſto iudicio examinare, & vera trutina penſare, potiſsimum in iis flagitiis, quæ quo grauiora & tetriora ſunt, eo magis circunſpectè & clarioribus argumentis definiri debẽt a. Quocirca ſtatuendum eſt, in quolibet crimine teſtium ſingularium dicto nihil effici, ſed vt probatio conſtans & plana ſit, neceſſe eſſe, vt duo ad minimum de eodem actu teſtimonium dicant b. Imò iure ipſo, plures ſingulares teſtes non ſufficerent vt quis hæreſeos conuictus habeatur, etiam eius cauſa vulgò ignominia notatus c. Vt enim quod res eſt fateamur, quemadmodum crimen hoc omnium eſt atrociſsimum, & maximè horrendum (quippe ipſam diuini numinis maieſtatem lædens) ita attentiſsimos Iudices qui de eo cognoſcunt, eſſe decet, nequid hîc per leuitatem & opinationem quandam ſtatuatur, ſed omnia ex iure & veritate d: vt ſic periculoſis quoque conſpirationibus, inſidioſis conſiliis calumniiſque obuiam eatur, quibus multi ſcelerati quotidie bonos & inculpatos viros, vlciſcendi cupiditate impulſi, impetunt, idque religionis

ſpecie,

z L. de quibus ff. de legibus.

a Petr. de bel. & Cyn. in l.2. quæ ſit long. conſue.

a L. famoſi, ff. ad l. Iul. maieſt. c. Vbi peric. de elect. in 6.

b Panor. d. conſilio.

c c. tam literis, c. veniẽs. de teſt. Boyer. deciſ. 342.

d d. l. famoſ.

ſpecie [e], cuius zelum ſuis ſtupris, nefariis libidinibus, furtis, concuſsionibus, & ſexcentis facinorum generibus impiè prætexunt. Summa eſt (vt tandem ad id vnde digreſſa eſt, redeat oratio) teſtium dicta, qui ſimul eſſe non potuerunt in eo de quo loquuntur, nullius fidei eſſe [f].

[e] Clem. in princip. de hæret.

[f] d. c. nihilominus.

TEXTVS.

De reliquis porrò notis, vt de ſubnatis dentibus, & ſimilibus, nihil nouum eſt, duos inter ſe ſimiles reperiri, non ſolū in vultus lineamētis, ſed etiā certis quibuſdam corporis notis.

ANNOTATIO LXI.

Verum hoc eſſe vt intelligamus, Sura Romanus, in Sicilia, quo tempore Proconſul eam adminiſtrabat, piſcatorem inopem reperit, ſui prorſus ſimilem non modo corporis ſtatura, oris ſpecie, & vultus figura, ſed geſtu quoque & ſtatu, atque adeo neſcio qua oris diducendi ratione, qua ille quum loquebatur aut ridebat, vtebatur, imò & ipſo balbutiendi vitio [a]. Idem contigit Magni Pompeij patri, qui coquum habuit ſui ſimilimum. De quo poſtea [b].

[a] Plin. lib. 7. ca. 24. Valer. Max. li. 9. cap. 15.

[b] Annot. 65.

TEXTVS.

Iam verò quod affertur, rumorem eſſe Artigati, ipſam actricem à Petro & generis impelli, vt reum in iudicio perſequeretur, reſpon-

deri poteſt, probationem ex fama petitam, non admitti, niſi in certis quibuſdam factis, quæ huic cauſæ quadrare non poſſunt.

ANNOTATIO LXII.

Quoniam homines improbi maledicentiæ ſupra modum indulgentes, linguam virulentam à bonorum exiſtimatione non abſtinent, ſæpenumero contingit vt illorum petulantibus probris, hominis innocentis exiſtimationi macula hæreat inuſta, & quidem atrociſſimi criminis, quod non modo ſuſcipere, ſed ne animo quidem concipere vnquam ſuſtinuiſſet. Quibus rebus fit, vt apud eos male audiat, qui nimia leuitate ad male de proximo ſentiendum impelluntur. Neque tamen æquum fuerit, inſontem illum ex iſtorum credulorum ſententia condemnare. Idem in ciuilibus controuerſiis accidit. Facile enim eſt nequiſſimo cuique, curare vt rumor de falſis rebus conſtanter ſpargatur, quo cauſæ ſuæ ſeruiat. Quare ſanctiſſimè noſtris legibus cautum eſt, probationem non eſſe iuſtam, quæ ex famæ auditione ſumitur [c]: niſi certis quibuſdam in rebus, quæ à noſtris interpretibus in locos communes congeſtæ ſunt [d]: vt quum de probandis agrorum finibus agitur [e]: aut factis quibuſdam ab vltima vetuſtate, quæ omnem hominum memoriam excederent, repetendis [f]: aut quum probandum ſuſcipitur Ioannem eſſe Antonij filium, Petrum Franciſci, aut aliud quidpiam

c L.3.§.eiuſdē, ff. de teſt. gl. in c. illud, de cleri. excom.

d Felinus in c. Veniens. 1. de teſt.

e c. cum cauſam de teſti.

f Innoc. in d. c. Veniens.

piam huiuſmodi[g]: aut aliquem diem ſuum obiiſſe:[h] aut denique quum quid planum faciendum eſt, quod nonniſi ægrè admodum perfici poteſt. Ac in ciuilibus quidem controuerſiis receptum eſt, fama & rumore ſemiplenam probationem conſtare[i]: in capitalibus autem (de quibus nunc nobis ſermo eſt) & in ciuilibus quoque grauioribus & magis arduis, locum nullum habet[k]. Ita vt iudex huiuſmodi ſemiplenam probationem cum vnius teſtis dicto coniungere non poſſit, quaſi ea ratione iuſta probatio conſtitui videretur[l].

g c. per tuas. de proba.
h Bar. in l. 2. §. ſi dubitetur, ff quem ad. teſt. aper.
i Accur. in l. 3. §. eiuſdẽ, ff. de teſtib. Salic. in l. ea quidem, §. fin. in fi. C. de accuſ.
k c. tam literis, c. Veniẽs, de teſt.
l d. c. tam literis. Felin. d. c. Venient.

TEXTVS.

Sed ne in eo quidem multum momenti poſitum eſt, quod dicebatur de notitia, quam reus habere videbatur, eorum omnium quos primo occurſu obuios habebat. Etenim præter magicam artem, cuius nomine vehementer ſuſpectus erat, ipſe poſtea quum ſupplicio afficiendus eſſet, confeſſus eſt, ſe à nonnullis adiutum fuiſſe, quorum opera vſus eſſet, in congerendis & memoriæ mandandis quibuſdam rerum capitibus. Nihilo firmius eſt, quod è ſororum Martini cum reo ſimilitudine non parua colligitur: propterea quòd (vt iam aliquoties dictum eſt) iudicium ex ſimi-

litudine, valde incertum eſt. Cuius rei plurima poſſunt exempla proferri.

ANNOTATIO LXIII.

m Annot.5. Initio huius commentatiunculæ aliquot ſimilitudinum exempla ſunt allata[m]: verùm quando rurſus in huius rei mentionem incidimus, præter illa iam commemorata, non eſt omittẽdum, Cn. Pompeio (Magni illius patri) qui poſtea Strabo cognominatus eſt, fuiſſe cocum nomine Menogenem, qui à deprauato viſu Strabonis cognomentum acceperat. Is tam aptè herum ſuum referebat, vt ipſe ex coci nomine totius populi tacitò conſenſu Strabo poſtea appellatus ſit[n]. Simile eſt quod legimus de P. Cornelio Lentulo, & Q. Metello Nepote, qui conſules anno ab Vrbe condita 697, duos Comœdiarum actores ſimillimos habuerunt, hic Pamphylum ille Spintherem. Vnde Lentulus tandem Spinther cognominatus eſt, & Metello idem futurum erat, niſi iam Pij appellatione celeberrimus fuiſſet[o].

n Plin. lib. 7. cap. 12.

o Idẽ ibidẽ.

TEXTVS.

Aequè facilis eſt exceptio, ad id quod de actrice narratum eſt, quæ cum reo commiſſa iuramentum edere recuſauit. Neque enim totum illud ad rei veritatem mutandam quicquam valet.

AN-

ANNOTATIO LXIIII.

Philoſophi dictum, in noſtri iuris diſciplina repetitum, eſt, veritatem, ex eo quod affirmamus vel negamus, minimè idcirco mutari[p]. Cuius tanta vis eſt (quemadmodum alicubi à Cicerone dicitur) vt nulla hominis arte, ingenio aut machinatione labefactari poſſit: vt ſi patrono careat, qui eam defendendam ſuſcipiat, ipſa ſe ſatis tueatur[q]. Et alio loco, Magnam, inquit, veritatis vim, quæ aduerſus ingenium, aſtutiam & calliditatem hominum, abſque aliena ope & auxilio ſe facilè defendit[r].

p L. aſſumptio. ff. ad municip.

q Cic. contr. Vatin.

r Idem pro M. Cœlio.

TEXTVS.

Præſertim in cauſis capitalibus, in quibus probatio ex iureiurando legitima non eſt.

ANNOTATIO LXV.

In iudicio capitis quoniam probationes certas, indubitatas & luce meridiana clariores eſſe oportet, non recipitur mos ille vt iuramentum deferatur[s]: præſertim quum, ſi hæc ſemel feneſtra aperiretur, facilè fieret, vt crimina & calumniæ colluſione litigantium occultarentur, atque impunitate pernicioſa laterent[t].

s l. fin. C. de proba.

t c. 1. & toto tit. de colluſ. detegend.

TEXTVS.

Quibus addi poteſt, nonnullos ea ſuperſti-

tione laborare, vt illis religio ſit vel in re clariſſima & certiſſima iurare.

ANNOTATIO LXVI.

Vlpianus quodam loco, vbi de legato agit, quod teſtator ea conditione fecerit, vt legatarius iuraret, tradit eam conditionem reiiciendam eſſe, legatariumque liberè, abſque vlla iuriſiurandi neceſſitate, ad quod à teſtatore adigi videbatur, poſſe legatum petere. id adeo, inquit, ne vel iurare recuſans, legatum amittat, vel peierans conſequatur. Sunt enim quidam, inquit Iuriſconſultus, qui nullo religionis metu nimia procliuitate ad iurandum feruntur: alij diuini numinis ad ſuperſtitionem metuentes, vt ne ea quidem quæ explorata habent, & certo certius ſciunt, velint vel auſint iureiurando affirmare a.

a l. quæ ſub condit. ff. de cond. inſtit.

TEXTVS.

Eadem opera reſpondetur ad id quòd toto illo triennio actrix cum eo non expoſtulauit, quæ contrà aduerſus quoſuis negantes ſumma pertinacia contendebat, eum eſſe verum Martinum: imò quum ea de re apud Seneſchallum Toloſanum reus factus eſſet, ſæpius eum inuiſebat, pecuniis aliiſq; rebus iuuabat: nempe quia (vt facilè coniici poteſt) in eo adhuc errore verſabatur.

ANNO-

ANNOTATIO LXVII.

Non temere neque ſtatim præſumitur quiſquam in errore eſſe [b]. Ex quo tamen quiſpiam in errorem inductus eſt, in eo tantiſper verſari præſumitur, dum rem ſe aliter habere apparet [c]. Nam & mentem mutatam eſſe non eſt facilè præſumendum, & minus etiam quicquam incidiſſe, quod mutationis cauſam attulerit [d]. Potius è præterito tempore ad præſens ducitur argumentum [e], ita vt quem inimicum, periurum, diuitem, inopem, ſubditum, à ſacris ſubmotum vel excommunicatum eſſe conſtat, is etiamnum talis habeatur [f]. Eam ob rem Rolſia vbi ſemel à ſuis gloribus & Petro Guerra circumuenta eſt, qui eum maritum eſſe aſſiduè in aures inſuſurrabant aſſerebantque, ſatis cauſæ nacta eſt, cur eum velut maritum amet, admittat, & propugnet.

b l. ſi poſt diuiſionem. C. de iur. & fac. ignor.

c c. fin. de ſucceſ. ab inteſt.

d l. eum qui ff. de prob. Accur. in l. ſi vero, §. qui pro rei, ff. qui ſatiſd. cog.

e l. ſiue poſſidetis, C. de prob.

f c. literas. de præſum. c. paruuli, 22. q. 5. c. præterea. l. 2. de teſti. l. in ipſius, & ibi Bal. C. famil. erciſ. c. ſicut nobis, de ſent. excom. doct. in l. 2. ff. de excep.

TEXTVS.

Hæc fuit contrariarum rationũ & coniecturarum pugna atq; diſcrepantia, cuius cauſa non dubium eſt, Curiam maximè perplexam hæſiſſe, in re tam obſcura diiudicanda. Verum optimus ille & maximus Deus, vt oſtenderet ſe laboranti veritati ſubuenire velle, ne tam prodigioſum flagitium occultum, debitis pœnis eximeretur: quum de rei ſumma pronun-

ciandum eſſet, effecit, non abſque miraculi ſpecie, vt in ipſo tempore verus Martinus adueniret.

ANNOTATIO LXVIII.

Magna profectò & admirabilis eſt Dei noſtri bonitas, clementia & fauor, quo nos quũ afficere ſtatuit, nullus eſt vel hominum dolus, fallacia, machinatio, vel Satanæ techna & nequitia, quæ illius opem queat impedire, aut illi aduerſari. Quod ex hoc facto, præter alia innumerabilia, liquidò conſtat. Hic enim duo inſontes, Petrus & Bertranda, valida omnipotentis Dei manu è præſenti exitio & mortis diſcrimine liberantur, cui velut calumniatores, expoſiti erant: ſimul inaudita & profligata audaciſſimi nebulonis Tillij impoſtura illuſtratur, & in apertam lucem extrahitur. Miraculum, ita me Deus amet, fuit, quòd Guerra (cuius impẽſis tota hæc fabula agebatur) tam tempeſtiuè ſe offert, quum ſcilicet iudicium ferendum eſſet: in quo Iudices plurimis difficultatibus afficiebantur, vt periculum illis eſſet, ne non ita iudicarent quemadmodum cauſæ æquitas reuera poſtulabat: quum totius rei ſtatus talis eſſe videretur (multorum quidem iudicio) vt ſecundum Tillium aduerſus Petrum & Rolſiam Iudices pronuntiaturos eſſe appareret. Verùm optimus & potentiſſimus Deus, cuius acutus oculus omnia videt, qui ſolus homines ſcrutatur, eorum̨ facta perueſtigat[g], opera contemplatur & expendit, quique Prophetis & Euangeliſtis ſuis

[g] *Act. cap. 15. 2. Theſſal. cap. 2.*

ſuis ſcribentibus, prodidit, nihil tam arcanũ, tectum & occultum eſſe, quod non tandem detegatur [h] & pateſiat, fallaciam tam inſigni impudentia excogitatam, tam prodigioſam impoſturam, qua omnium animi ſupra modum offendebantur, non eſt paſſus incognitam diutius latere.

h Ierem. c. 33. Eccleſiaſt. 16. & 24. Matt. 5. Marci 4. & Luc. 12.

TEXTVS.

Is igitur ex Hiſpania rediens, altera lignea tibia ingrediens (quemadmodum ante annum miles quidam, vt narrauimus, nuntiauerat) ſupplicem libellum porrigit, quo impoſturã detegit, & ſibi dicendi poteſtatem fieri poſtulat. Senatus poſtulata concedit, eique apud Baſilicæ cuſtodem Arreſtum (vt vocem & locutionem patriam vſurpem) clauſum tenet.

ANNOTATIO LXIX.

Dictionis Gallicæ Arreſti, duæ ſunt ſignificationes. Prima ſupremæ cuiuſdam Curiæ conſultum, iudicatum, ſiue vltima (vt ita loquar) ſententia, indicatur. Qua ratione multi putant deductã eſſe à Græco ἀρέσον, quod Latine Placitum dicas. Et nos magnus ille Budæus noſter errare exiſtimat, qui gemino rr *Arreſt* Gallicè ſcribamus [i]. Secundo incarcerationis quoddam genus denotat, quum manus alicui ex Magiſtratus autoritate & decreto iniicitur, quo vetatur ille, ne

i l. fi. in fi. ff. de ſenator.

k l. 2. ff. de li. ho. exhib. l. Titio centũ, §. Titio centum, ff. de cond. & demon.

pedem ex eo loco, quem certum conſtituit, efferat k. Illic enim eum ſiſtere gradum (quod eſt Gallicæ *Arreſter*) iubet. Sic in contextu noſtro accipitur, & gemino rr ſcribitur.

TEXTVS.

Statuunt interim Patres vt cum Tillio, Petro Guerra, Rolſia, & ſororibus committatur, necnon cum iis teſtibus qui tanta conſtantia affirmauerant, reum eſſe Martinum. Itaque auditur, & ſuper iiſdem interrogatur, quæ ex reo quæſita fuerant: ad quæ omnia reſpondet, ac indicia profert ille quidem ad ſingula quæ rogantur, non tamen tam apta, certa aut multa quam ipſe Tillius. Denique ambo inter ſe conferuntur. Ibi tum Tillius ſe multò quàm vnquam antea proteruiorem præbet: iſtum ſycophantam, nequiſſimum, impoſtorem vaniſſimum appellat, ſe non recuſare quin turpi ſuſpendio pereat, ni planum faciat eum à Petro Guerra ſubmiſſum & pretio numerato corruptum eſſe. Qui tametſi callidè ab eo ad mentiendum inſtitutus eſſet, non tamen ſe dubitare quin eum coarguere & ſuppoſitum deprehendere poſſit. Tum inſiſtit multa narrare, ab eoq́; de plurimis rebus domeſticis ſciſcitari. Ad quæ ipſe Guerra non tam appoſitè

poſitè neq; promptè reſpondebat, quàm reus viſus antea fuerat, & tum quoq; videbatur.

ANNOTATIO LXX.

Rem audis incredibilem, & ad quam meritò omnes obſtupeſcant, vt perditus iſte impoſtor & impurus planus, qui alterius nomen & perſonam ſuppoſuit, reperiatur ſibi melius conſtare, veriſimiliora loqui, & aptius ad omnia rogatus reſpondere, quàm ille ipſe, cuius nomen ſumpſerat, & perſonam agebat.

TEXTVS.

Hæc quum viderent Iudices, conſilium capiunt, vt nouum iſtum aduentitium, remotis teſtibus ſolum interrogent, & ab eo quædam omnium occultiſſima quærant, quæ à neutro adhuc quæſierant, nec quicquam quod accedere ad ea videretur. Rogatus, vera (vt poſtea conſtitit) reſpondet. Deinde eo remoto reum accerſunt, eadem ad decem aut duodecim capita ſciſcitantur. Ille ad omnia planè eadem quæ alter reſpondet. Quæ res toti cœtui ſtuporem immiſit, opinionemq; iniecit, eum magica impietate vti: vt publica etiam fama huius rei apud Artigatum, Pinum, Sagiaſſum & loca finitima, notabatur.

ANNOTATIO LXXI.

Satis profectò erat cauſæ, cur illi ſuſpicarentur reo adeſſe quendam Genium familiarem velut nomenclatorem, quum tam aptè, diſtinctè & verè ad omnia reſpondere noſſet, & quidem ad ea quæ maximè erant arcana & intima, vt ne latum quidem vnguem aberraret, idemque (quod magis miremur) obuios omnes ab ipſo primo aduentu, & deinceps noſſet, quũ interim neminem eorum vnquã vidiſſet. Quæ ſanè perfici nulla ratione poterant, vllius mortalis ope, qui eum monere & ſingula edocere potuiſſet, præſertim quum nunquã Artigati fuiſſet (quod quidem ſciri poſſet) nec vllam cum ciuibus conſuetudinem habuiſſet. Nec verò dubium eſt, quin ſatan inter crudeliſsima tyrannidis genera quibus ab orbe condito in miſeros mortales debacchatus eſt, vt eos irretiat, obſtringat & ſibi ſubiiciat, magica cum illis commercia inſtituerit, ita vt perditæ artis ludum aperiret, & talem mercem infinitis proſtitueret, quos quidem ea erroris efficacia dementauit, vt ab eis ſumma cum admiratione coleretur, in eum adductos furorem ſuis præſtigiis, vt nihil eſſe credant quod magia perfici non poſſit [a]. Nec ſanè putandũ eſt Magiam eſſe fabulam, & rem tãtum de nomine: quum in legibus tam diuinis quàm humanis, multus ſit de ea ſermo, quibus diſertè præcipit, vt deteſtabilis habeatur, & ex ipſo ſolo terrarum exterminetur [b]. Fuerunt illæ inſignes & primariæ in-

[a] *Pet. Crin. lib. 9. cap. 5. De hon. diſcip.*

[b] *Leuit. ca. 20. Deu. 18. l. 1. & tot. tit. C. de malef. & mathem. c. ſi. 36. q. 5.*

riæ inſidiæ & fallaciæ, quas ſatan impoſtor, mendacij pater excogitauit, per quas hominibus exitium machinatus eſt, eoſq; adeo in fraudem induxit, vt tanquam Deum, Simonem Samaritanum colerent, ſtatua erecta, cui inſcriptum erat, Simoni Deo ſancto[c]. Porro ars iſta malorum dæmonū & impurorum ſpirituum (cuius inuentorem ferunt Zoroaſtrem, Bactrianorum regem, qui eam centum millibus verſuum deſcripſit[d]) Magia vocatur: tametſi nomen hoc ex ſe nihil mali denotet, imò ſapientiam, ſcientiam & notitiam, in genere, ſignificet, rerū tum humanarum, tum diuinarum. Eius duo genera conſtituuntur, vt altera ſit naturalis & permiſſa, altera ſuperſtitioſa & vetita. Naturalis eſt abſoluta quędam & conſummata notitia facultatum, quas rerum natura occultas & abditas habet, nempe in corporibus cœleſtibus, gemmis & herbis. Ad quam ediſcendam Pythagoras, Empedocles & Democritus voluntarium exilium ſuſceperunt, vagi per varias prouincias errauerunt, & in longinquas regiones peregrinando peruenerūt. Tali magia præditi olim fuerunt celeberrimi illi & generoſi ſapientes, qui ab Oriente Ieſum infantē adoratum venerunt[e]. Architas item Tarentinus, qui columbam ligneam ponderū contrariis momentis ita, & tanto artificio, tantoque ingenio fabrefecerat, vt ſola ſublimis in aere volaret. Idem de Boetio dicendū, qui aues ex ære canentes, & boues mugientes efficiebat[f]. De Alberto quoq; magno, qui æneum caput loquens fabri-

c Tertul. Apologet. Petrus Crin. li. 8. cap. 1.

d Plin. li. 30 cap. 1.

e Mat. ca. 2.

f Caſsiodor. in lr. Variarum. Petrus Crin. lib. 17. cap. 13.

cabatur. Altera Ceremonialis dicitur propter-
ea quòd tota poſita eſt in ſuperſtitionibus & ce-
remoniis verborum, nominum, imaginum, cha-
racterum, conſecrationum, ſacrificiorum, & va-
g c.fi.§.ad narum huiuſmodi rerum *g*. Quas qui profiten-
hac omnia, tur, iactant ſe earum vi ſpiritus poſſe euocare,
26.q.5. quorum præſtigiis atque illuſionibus nihil non
perficiant, vt vel ſtellas è cœlo detrahant, Vir-
h Aeneid. gilio teſte *h*.
lib.4.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.

Hanc magiam quidam bifariam diuidunt, vt al-
tera dicatur Goetia, altera theurgia. Alij (in qui-
bus eſt Varro) quatuor eius faciunt genera, Ne-
cromantiam, Pyromantiam, Aëromantiam &
i M. Varro Hydromantiam *i*: quibus addunt recentiores
Diuinarũ Geomantiam & Chiromantiam *k*. Necroman-
rerum, li.7. tia ea eſt quæ euocatis manibus ſiue defunctorũ
k Polydor. ſpiritibus, diuinare docet: idque ex compoſitio-
De inuento nis ratione ſatis oſtenditur, ex nomine νεκρὸς &
rib.rerum, μαντεία *l*. Eadem Goetia dicitur, παρὰ τὸν γόον, à
lib.1.cap.23.
l c.fi.26.q.5. gemitu quem edere eum circùm buſtum opor-
m D.Augu. tebat, è quo vmbram elicere ſtudebat *m*. Aut
De ciu.Dei, ſanè alia ratione, eaque frequentiori, ars illa ma-
li.10. cap.9, lefica exercetur malorum Geniorum inuocatio-
10. & 11. ne. Vt quùm magi Pharaonis virgas in ſerpen-
tes conuertebant, & fluminis aquam in ſangui-
n Exo.ca.7. nem *n*: quum Pythoniſſa in Endor, poſtulante
Rege Saule, ſuo Genio, quem familiarem habe-
o Reg.1.c.28. bat, Samuelis animam excitauit *o*. Aut verius
(quemadmodum aliis placet) non erat ſancti
Prophetæ

Prophetæ anima ſed dæmonium aliquod eius forma indutum*p*, aut certè ſpectrum vel fantaſma. Theurgiam à Goetia differre volunt, quòd ea Deum & bonos Genios inuocat, id eſt Angelos, quos nonnulli ieiuniis aliiſque ad id neceſſariis ceremoniis putarunt ſibi conciliare, & ad ſe virtutes cœleſtes allicere poſſe arbitrarentur. Quod Apollonio Thyaneo vulgò tribuunt: de quo admiranda feruntur, quòd auium cantus & garritus intelligeret, ſciret quicquid in remotiſſimis locis gerebatur, omnes linguas teneret, quas nunquam didicerat, hominum cogitata enũtiaret, futura prædiceret, denique (quod ſuprà cætera admirabile eſt, quodque Chriſtianus homo credere non debet) mortuos in vitam reuocaret. Quæ omnia ſe facere Dei conſilio ac nutu, Geniique proprij prædicabat*q*. Sic Socrates dæmonium ſuum habuit: Iamblichus quoque ſcripta quædam reliquit, quibus docet qua ratione tales ſpiritus euocentur, & in familiaritatem aſciſcantur*r*. Vaniſſima omnino deliria, & periculoſæ illuſiones, quas doctiſſimè D. Auguſtinus & fuſiſsimè refutauit*s*. Sunt enim aliud nihil, quàm præſtigiæ, faſcinationes & fraudes Satanæ, omnis mendacij patris, qui ſe ſubinde in angelum lucis commutat, vt homines fallat. Pyromantia eſt diuinatio ex igne, vt quum ſpectatur, quid ſignificet ignis flamma, fulgura, tonitrua, fulmina*t*: quo Virgilius reſpicere videtur, quum ait:

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

p c.fin. §. prẹterea, 26. q. 5.

q Raphael Volater. Anthropolog. lib. 13.

r Iambl. lib. De myſt. Aegyp. Chald. & Aſſyr.

s D. Auguſt. De ciu. Dei lib. 10. ca. 9. & 10.

t Cic. de diui. lib. 1. et 2.

Huius rei præſens exemplum præbet Tanaquil, Priſci Tarquinij vxor, quinti Romanorum Regis. Quæ quum cerneret infantis cuiuſdã infimæ conditionis, Seruij Tullij, caput flamma cinctum, inde prædixit eum Romæ regnaturũ [t], Cicero docet ex Hetruſcorum diſciplina, ſi ex igne gemina flamma emicaret, aut flamma extremo apice bifariam ſecaretur, eo rixas & diſſidia portendi [u]. Pyromantiæ nomine meritò cõprehenditur Capnomantia, quod diuinandi genus eſt inſpecto fumo: qui ſi in orbem conuoluatur, aliquid ſignificat: ſin transuerſus ſpargatur vel curuetur, vel denique recta in ſublime feratur, aliud præſagit [x]. Aeromantia de iis eſt quæ in aere fiunt, nempe de auium volatu & cantu, dum liberæ ſunt, de imbribus, tempeſtatibus & nymbis inuſitatis. Ita quum lapidibus in marca Anconitana pluit (agrũ Picenum Latini dixere) præſignabatur clades, quã Annibal Romanis intulit [z]. Hydromantia fit inuocatione dæmonũ in aquá [a]: vt quum puer quidam (quemadmodũ eſt apud Varronem) in aqua Mercurium conſpexit, centum quinquaginta verſibus narrantem quicquid bello Mithridatico accidit [b]. Ab ea non multum diſtat Ilecanomantia, quæ fit in pelui aquæ plena, in quam certis carminibus euocatur Dæmon, qui primùm ſubſilit & laſciuit in aqua: deinde ſibilans exilem vocem edit, qua ad rogata reſpõdet [c]. Geomantia etiam inter has numeratur, quæ olim, antequam repertus fuiſſet papyri & atramenti vſus, vſurpabatur punctis quibuſdam

t Tit. Liu. li. 1. Dion. Halicar. lib. 3.

u De diui. lib. 2.

x Pet. Crin. lib. 23. cap. 3.

z Tit. Liu. lib. 21.

a c. fin. 26. q. 5.

b M. Varro Diuin. rer. lib. 2.

c Pet. Cri. de honeſt. diſc. lib. 6. ca. 11.

buſdam in terram proiectis: qua ex re nomen etiamnum retinet. Hodie puncta illa non in terram ſed in chartam albam, aut aliud quidpiam, quod eis excipiendis aptum ſit, ex quibus poſtea fit iudicium. Chiromantia diuinandi ars eſt ex inſpectione linearũ quæ in manibus diſtinguũtur. Præter has Magiæ ſpecies addunt plerique Pharmaciam [d] male tamen, meo iudicio: quum nullus illic diuinationis aut dæmonum inuocationis vſus: ſed ſolùm in pharmacis, potionibus & veneficiis poſita ſit ad mortem conciliandam, amorem, aut etiam odium. Vt quum Fauſtinæ Antonini filiæ, M. Antonini philoſophi Imperatoris vxori præſcriptum eſt, vt ſanguinẽ gladiatoris, quem deperibat, biberet, ſtatimque cum marito concumberet. Quod quũ feciſſet, ſtatim Athletæ amorem depoſuit. Ac eo quidem concubitu grauida facta, Antoninum Commodum poſtea peperit, cuius tanta fuit crudelitas & feritas, vt gladiatoris potius quàm Imperatoris & Principis nomen mereretur [e]. Tametſi autẽ huiuſmodi pocula amatoria, ad amorẽ ipſum animo immittendum propinantur, non tamen periculo carent: vtpote ex quibus ferè ſequitur mors, aut extrema rabies [f]. Quod accidit Lucretio nobili & excellenti poetæ. Is enim ſumpto pharmaco, quod Lucilia vxor, grauiter Zelotypia laborans, præbuerat, vt eum ad ſui amorem pelliceret, in furorem verſus, ſeipſum interfecit [g]. Quapropter Ouidius huiuſmodi amatoria vehementer diſſuadet [h].

d Cæl. Rhodigin. lib. 9. cap. 23.

e Iul. Capit. in vita M. Anton. phil.

f l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pœn.

g Euſe. hiſt. eccleſ. lib. 6. Hieron. aduer. Ruffin.

h. lib. 2. de Ponto.

Nec data profuerint pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

Neq; tamen inficiari velim, ſi eſculentis vel poculentis quibuſdam ſumptis aliquid prodigioſum conſequeretur, Pharmaciam tum in Magiæ generibus collocari. Veluti quum Demænetus Parrhaſius, aut (ſi Pauſaniæ magis libet credere [i]) Demachus, quum pueri cuiuſdam carnes guſtaſſet, quem Arcades deo ſuo Lyceo immolabant, ſtatim in lupum conuerſus, decimo demum anno in humanam formam rediit [k]. Qua de re Auguſtinus grauiter diſſerit [l], docetque iſta non minus fabuloſa eſſe, quam quæ de Diomedis Ætoliæ regis ſociis ſcribuntur, quos poſt Troiæ excidium in aues mutatos fuiſſe tradunt: aut de Circe, à qua ferunt, Zelotypia accenſa, Scyllam puellam in monſtrum marinum fuiſſe conuerſam, Vlyſsis autem ſocios in porcos.

i Pauſan. in Eliacis.
k Plin. lib. 8. cap. 22.
l De ciuit. Dei, lib. 18. ca. 17. & 18.

Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.

In iſtis prodigioſis narrationibus, admittimus duntaxat Nabugodonoſoris hiſtoriam, quem ſacræ literæ docent Dei iuſſu, commutatum in bouem, & toto ſeptennij tempore inter mutas animantes herbis veſcentem, verſatum fuiſſe, tandem vero Deo placato, figuræ humanæ reſtitutum fuiſſe [m]. Neque tamen inficiari volo, eam inter homines conuerſionem, qua ex vno ſexu in alterum tranſeunt. Etenim præter exempla, quæ in eam ſententiam apud Plinium & Gellium extant, non deeſt ratio qua id fieri poſſe intel-

m Dan. c. 4.

intelligamus, abſque vlla magia vel artificio. Mari certò & fœminæ, genitalia prorſus ſunt ſimilia: hoc intereſt, quòd viris extant & prominét, fœminis intus condita latent, neque teſticuli penduli viſuntur. Quod quum ita ſit, ad ſexus conuerſionem ſatis fuerit, ſi viri genitalia caſu quodam, puta morbi vel alio, in corpus intimum recipiantur: tum enim fœmina fiet. Quòd ſi mulieri contra hæc membra prodeant & emineant, mas efficietur *n*. Quanquam non memini me vllum exemplum legere, quo vir in mulierem mutatus ſit, quum diuerſæ conuerſionis non pauca ſuppetant: natura ſcilicet benignius nobiſcum agente, quæ res in præſtantiorem non in deteriorem ſtatum commutare ſtudet. Alia ſunt inſuper plura Magiæ genera, quæ recenſere nihil eſt neceſſe, quum præſertim omnia ſint vanitatis plena, è Satanæ præſtigiis orta, quæ etiam non ſolùm Sacrorum librorum ſcriptis repudiantur, & grauiſsimis minis paſsim vetantur *o*, verùm etiam ipſis legibus humanis (quarum tamen autores, magna ex parte, veri Dei notitia caruerunt) capitalia habentur, & ſeueriſsimè damnantur *p*. Habemus autem Dei benigniſsimi præſtantiſsimum munus, ipſius Euangelij ſacroſanctum verbum, ex quo poſſumus in aduerſis rebus conſolationem ac conſilium petere: vt non opus ſit de rebus nihil ad nos pertinentibus, curioſè percontari. Ita enim infœlici diuiti apud inferos pœnas danti, Abrahamus pater, Lazarum in ſinu habens, reſpondet, quum

n Galeot. Martialis De doct. promiſc. ca. 18.

o Leuit. 19. *&* 20. *Deut.* 18.

p l. 2. 3. 4. *C. de malef. & mathem.*

quidem Lazarum ad fratres ſuos mitti peteret. Habent, inquit ille, Moſen & Prophetas, quibus ſi non credunt, nec ei qui illuc ab inferis rediret, credituri ſunt q. Quamobrem ne cõmittamus, vt Satan qui continenter tum diurnis tum nocturnis inſidiis nos adoritur, in ſuos caſſes & doloſa retia, quæ ad prædam explicat, nos præcipitet, à quibus Dei viui verus Filius Ieſus Chriſtus tãto pretio nos redemit, acerbiſsimos mortis cruciatus pro nobis in cruce perpeſſus. Potius illum oremus, vt mentes noſtras colluſtret, & in ſuas ſemitas dirigat, quò verbi eius lumine, omnes illuſiones, impoſturas atque præſtigias diſpellere poſſimus, per quas diabolus (cuius vnum eſt hoc ſtudium vt nos ſempiterno exitio inuoluat) nouas ſubinde inſidias molitur, quibus Dei Eccleſiam & pios aggrediatur.

q Luc. ca. 16.

TEXTVS.

Igitur patres, quò certius iudiciũ facerent, præcipuos ex eorum numero, qui teſtati fuerãt reum eſſe Martinum Guerram, coràm adeſſe iubẽt, ipſas item Martini ſorores cum maritis, ſimul etiã ipſius Tillij auunculum, fratres & certos conſanguineos: vt ambo iſti ſimul eorũ oculis obiicerẽtur, atq; alter tandẽ verè agnoſceretur Martinus Guerra. Qui omnes iuſſi adſunt, præter Tillij fratres, qui nullis literis,

minis

minis aut imperio adigi vnquam potuerunt, vt aduerſus fratrem teſtimonium dicerent.

ANNOTATIO LXXII.

Erant profectò [a] iſti nonnulla venia digni, qui nollent in fratris perniciē teſtimoniū ferre. Quā ad rem lex quoq; ipſa noluit tales cogere, maximè quū res tanta agitur, vt capitis periculū ſubeundū ſit [b]. Nam inhumanitatis cuiuſdam eſſe videtur, vt compellatur quiſpiam ſuo generi, id eſt carni, oſſi, ſanguini ipſi, perniciem conflare [c]: quum ſuam nemo carnem (vt eſt Apoſtoli verbum) odio vnquā habuerit [d], imò qui ſuorū curam non habet, is vel impio ſit peior [e]. Hac ratione adducti noſtri Interpretes, docent, eum qui Arcem vel locum quempiam munitum Principi ſe traditurū ſpoponderit, quo ille aduerſus quoſlibet hoſtes vteretur, non teneri tamen hoc promiſſo, vt aduerſus ſeipſum tradere debeat [f], nec aduerſus parētes, liberos, fratres vel alios genere proximos, quos naturæ lege non multo minori charitate quàm ſeipſum complecti debet [g].

a L. lege Iulia, ff. de teſtib. c. ſi teſtes, §. lege Iulia, & §. penul. 4. q. 3.
b l. ſi magnum. l. ſi ſororē. C. qui ac. non poſ.
c l. humanitatis. C. de excuſ. tut.
d Ephеſ. c. 5.
e 1. Tim. cap. 5.
f Gl. in c. petitio. de iureiur. Bar. in l. 1. ff. de ſenator.
g Bal. in l. cum acutiſſimi, C. de fideicō. doct. in l. frater à fratre, ff. de cond. indeb.

TEXTVS.

Adeſt ergo omnium prima ſoror natu maxima: quæ pauliſper iſtum nuper reuerſum, intuita, ſtatim fratrem eſſe agnoſcit, atq; flens in eius amplexus ruit.

ANNOTATIO LXXIII.

Quandoquidem Plinius, Plutarchus, Valerius,

aliique hiſtoriographi teſtantur plures tum viros tum mulieres ſubito & immodico gaudio abſumptos fuiſſe, nemo, opinor, abſurdum exiſtimabit, quod quiſpiam præ gaudij magnitudine fleat & lacrymas magna copia mittat. Cuius rei documento eſt Ptolomæus Ægypti rex, cui cum ſummi muneris loco, codex legis Iudaicæ aureis deſcriptus literis porrigeretur, maxima affectus lætitia lamẽtari & plorare cœpit [h]. Quippe natura (vt Ioſephus in ea re narranda docet) in maxima voluptate ſæpe id patitur, quod aliis in ſummo mœrore & ægritudine vſuuenit [i]. Plurima in eam rem & illuſtria exempla è grauibus Scriptoribus adduci poſſunt, de iis qui immoderato gaudio occupati non ſolùm flere, ſed etiam efflare animam in ipſo articulo conſpecti ſunt [k]. Quorum magna multitudine omiſſa vnum Diagoram Rhodium proferam, qui quum tres filios vno die Olympię palęſtra victores, coronatos, ſuas paterno capiti coronas, faciẽ oſculatos imponere, populum quoque gratulabundum aſtare, ac flores vndique ſpargere, videret, incredibili perfuſus lætitia in eorum complexu expirauit [l]. Mitto enim Philemonem poetam, qui aſinum conſpicatus ficubus veſcentem quæ in prandium paratæ erant, tanta vehementia cœpit ridere, vt ſtatim emoreretur.

h Ioſephus Antiq. Iud. li. 12. cap. 2.

i Vide Annot. 30.

k Plin. lib. 7, cap. 53. Au. Gel. lib. 3. cap. 15.

l Cic. 1. Tuſc. quæſt.

TEXTVS.

Iudices his verbis alloquens, Hic verò demum

mum eſt frater Martinus Guerra. Vltro errorem fateor in quem perfidioſus iſte proditor (tum autem Tillium præſentem deſignabat) me, ſorores & ciues omnes Artigatenſes ſuppoſitis indiciis impulit & diu detinuit. Ad quam eius orationem ipſe quoque qui recens venerat, collacrymari cœpit. Deinde reliquæ etiam ſorores eum agnoſcunt, omnes denique cæteri teſtes idem faciunt, qui tam pertinaciter antea Tillij cauſam ſuis verbis cõfirmabãt.

ANNOTATIO LXXIIII.

Obſeruent hîc Iudices quanti ſit periculi, maximè in capitalib. cauſis (vbi exiſtimatio & ſalus hominis agitur) iudicium ex teſtium dictis facere: qui ſæpe tanquam comperta affirmant [m], quæ poſtea repudiare coguntur. Videant præterea quanto tutius ſit, potiſsimùm in capitali iudicio, non tantùm teſtimonio, quod auditur, aut in tabulas relatum legitur, inniti: ſed teſtes ipſos accerſere, coràm audire, conſpicere, vultum & geſtum contemplari, percontari, rationem dicti exactè rogare. Sic enim ſentio, ſi hæc agendi ratio inſtitueretur, multis inſidiis, calumniis & conſpirationibus teſtium occurſum iri: qui ſanè non tam ſe faciles ad falſa teſtimonia redderent, Senatus ſupremi amplitudinem reueriti, coram quo ſibi rationem reddendam eſſe

m Vide annot. 26.

intelligerent. Hoc nimirum eſt quod Adrianus Imperator Iunio Ruffino, Macedoniæ proconſuli ſcribebat, ſe teſtibus, non teſtimoniis credere velle. Fides enim & grauitas teſtis præſentis, longè eam excedit, quæ eſt in eorum verbis, quũ duntaxat leguntur & recitantur *n*: quæ ſcilicet non rarò dictantur vel excipiuntur magis ex libidine improbi cuiuſdam diſceptatoris, vel Scribæ imperitia, quam ex mente & conſilio teſtis. Proinde Calliſtratus Iuriſconſultus, Adriani argumentum proſequens, hęc ex eius epiſtola ſubiicit, Quod crimina obiiciebat apud me Alexander Apro, & non probabat, nec teſtes producebat, ſed teſtimoniis vti volebat, quibus apud me locus non eſt (nam ipſe eos interrogare ſoleo) ipſum remiſi, &c. *o* Atque id ſibi vult, meo iudicio, quod Iuſtinianus ſcriptum reliquit, in iudicio capitis, vbi maius eſt periculum (eſt enim res de exiſtimatione & capite hominis) neceſſe eſſe, vt teſtes Iudici producantur & exhibeantur *p*.

n l.3.§.idem diuus, ff. de teſti.

o d.§. idem diuus.

p §. hæc omnia, in nouel. de teſtib. coll. 7. auth. apud eloquẽtiſſimum, C. de fide inſtr.

TEXTVS.

Tandem ipſa Rolſia in medium adducitur, quæ ſimulatque in recentem iſtum oculos coniecit, obortis lacrymis, tota tremens inſtar folij vento agitati, vultu madente eum amplexura accurrit, errati veniam petens, in quod imprudentem ſe Tillij verſutia, calliditate, atq; impoſtura circumuentam incidiſſe confitetur.

AN-

ANNOTATIO LXXV.

Vt liquidò intelligatur num hæc culpa excuſatione vlla digna in hac matrona eſſet, ſic habendum eſt, crimina omnia (vt & cætera quælibet quæ ab hominibus fiunt [q]) voluntate aut præter voluntatem & conſilium committi [r]. Primi generis ſunt ea, quæ deſtinata & meditata deliberatione cõmittuntur [s]: qualia ſunt hominem conſultò interficere [t], mulieri vim inferre, furari, falſum teſtimonium dicere, & huiuſmodi alia, quæ non niſi dolo & malo animo fiunt [a]: eaque vbi perpetrata ſunt, venia omnino ſunt indigna, quo ad homines [b], etiamſi eum qui deſignauit, ſeriò pœniteat [c]. Nam alioqui nullum vnquam de facinoribus ſupplicium ſumeretur. Quotus quiſq; enim, qui non euitandi ſupplicij, aut infamiæ cauſa, non dicat, Me pœnitet? Poſſunt etiam dici voluntaria, quæcunque ira aliqua, aut animi repentina perturbatione admittuntur. Velut ſi eum interficio, quem mea vxore abutentem deprehendo [d], aut qui perimere conatur [e]. Huiuſmodi crimina etſi dum patrantur, coniunctam habent quandam voluntatem à tali perturbatione excitatam, tamen quia non fuit voluntas planè meditata & conſulta, ſed animi impetu expreſſa, & velut coacta [f], facilè remitti poſſunt [g]. Perdifficile enim eſt homini, in tam iuſto dolore, ſeipſum reprimere, & iram cohibere [h]: vt ſatis ille oſtendit qui non abſtinuit manum ab ipſo Ioanne XIII papa, quem in adulterio cum

q Ariſt. Ethic. lib. 3.
r l. 1. & 2. ff. de legibus.
s l. reſpiciendum, §. fin. ff. de pœn.
t l. 1. C. de ſicar. c. 1. de homic. in 6.
a l. penult. ff. de adult.
b l. 3. C. de epi. c. 1. de homic. in decretal.
c l. qui ea mente, ff. de fur. c. cum nõ ab homine, de Iud.
d l. Gracchus, C. de adul.
e l. Vt vim, ff. de iuſtit. & iure, c. fi. 35. diſt.
f l. ſi mulier, §. penult. ff. quod met. cau.
g l. Verũ, ff. de fur. d. l. Vt vim.
h l. ſi adulterũ, §. Imp. ff. de adult.

vxore deprehenſum iugulauit *i*. Quæ porro præter voluntatem, ſiue non voluntariè committuntur, ſunt in quibus caſus quidam inopinatus ſiue fortuitus vel error interuenit: & remitti debent *k*. Vt quum Telegonus Vlyſſis & Circes filius, caſu patrem occidit, quum eum non agnoſceret, & ſibi cum ſeruis rem eſſe putaret, aditum domus paternæ prohibentibus *l*. Idem accideret, ſi quis inter venandum, aprum aut aliam feram venabulo petens, hominē contingeret, ex quo ille vulnere moreretur, vel grauiter ſauciaretur *m*. Et (vt in facti noſtri ſpecie verſemur) ſiqua mulier cum alieno rem habeat, quem tamen maritum ſuum putet eſſe: aut contrà, vir alienam, quam ſuam vxorem arbitretur, conſtupret: ambo venia magis quàm ſupplicio digniores ſunt *n*: vt plurib. poſtea docebimus. Alioqui ſanè Lotus inceſti damnandus videretur, qui vxorem apud ſe accumbere ratus, duas natas compreſſit, & grauidas reddidit *o*. Talia facta quoniam à nulla praua voluntate proficiſcuntur, excuſari debere videntur *p*. Niſi forte præceſſerit aliquod malum opus, quod facto ſequenti occaſionem attulerit *q*. Ita enim qui crimen commiſit, iam in culpa erat, qui rem per ſe prauam & damnatam faciebat: & conſilio, ob tale rei faciendæ initium, iam vitioſo & malo erat. Verbi gratia, ſi in animo iam habeo Antonium interficere, ſed in Franciſcum incido, quē occido: veniam non mereor, quia hominem interficere omnino conſtitueram *r*.

TEXTVS.

i Plat. in Vitis pontificum.
k l. reſpiciendum, §. penul. ff. de pœn. l. 1. et 2. ff. de legib.
l Ouid. Faſt. lib. 3.
m c. lator, de homic. §. ſi. d. l. reſpiciendum.
n c. 1. 29. q. 1. c. ſi Virgo, c. in lectū 34. q. 2.
o Gen. ca. 19. c. inebriauerunt, 15. q. 1.
p l. itē Mela, ff. ad l. Aqu. d. c. lator.
q l. lege §. 1. de ſic. l. ſi ſeruus, §. ſi fornacarius. ff. ad l. Aquil. c. continebatur, de hom.
r l. ſcientiā §. fin. ff. ad l. Aquil. l. eū qui. §. ſi iniuria. ff. de iniur. Bar. in l. reſpiciendum, §. fi.

TEXTVS.

Culpam potiſsimum in ipſius Martini ſorôres reiiciens, quæ nimia facilitate ſibi perſuâſerant & affirmarant reum eſſe, ipſum ſuum fratrem.

ANNOTATIO LXXVI.

Hoc mulierum proprium eſt, ex Philoſophi ſententia, vt temere credant, & virorum technis aſtutiisque facilè fallantur [a].

Scilicet iſta fuit veterum natura virorum,
Fallere fœmineum, credula corda, genus[b].

Iuſtinianus quoque Imperator dicebat, Fœminas imbecilli ingenio eſſe ſatis nouimus, innumeris deceptionibus & circunuentionibus expoſitas [c].

a Ariſt. De natu. anim. lib. 9.
b Fauſtus li. 4. de Liuia.
c §. quæſitũ, de æqual. dot. in nouel. col. 7.

TEXTVS.

Quum alioqui cupiditate incredibili teneretur recuperandi mariti. Itaque hæc omnia concurriſſe, quibus facilè adductam ſe eſſe, vt eum admitteret, eò magis quòd multa, eaque maximè arcana & ſingularia indicia prodebat. Verùm quum primum fraudem deprehendere cœperit, mortem ſexcenties optaſſe [d]; atque adeo ſibi eam illaturam fuiſſe, niſi Dei metus cohibuiſſet.

ANNOTATIO LXXVII.

Mors omnium malorum finis eſt, miſeriarum quies, & quietum ab huius vitæ periculis receptaculum, verumque eſt quod de illa vulgo dicitur,

Illa malis requiem finemq́ laboribus affert.

Proinde probo viro formidini aut terrori eſſe non debet, ſed potius ab eo fortiter contemni. Et ſanè Numantius ad Ciceronem ſcribens, meritò tradit mortem honeſtam ſæpe expetendā, cuius beneficio homo innumera pericula & inconſtantis fortunæ inſidias deuitat: nedum vt fugienda ſit. Quin & Paulus Apoſtolus aſſiduo ſtudio flagrans cœleſtis patriæ, & ad immortalē fœlicitatem anhelans, cupiebat è corpore ſolui, vt cum Chriſto habitaret *d*. Hæc verò quanquam vera ſunt, tamen certis quibuſdam temporibus, & ob certas moleſtias quæ occurrūt, extremum vitæ finem optare, hominis eſt nimium perturbationibus ſeruientis, & parum in ſacra doctrina inſtituti. Quum enim in Dei clientela ſimus, imò ſerui addictiſsimi & mancipia, æquū eſt vt in omnib. eius imperium expectemus: vt (quod dicere Hegeſippus ſolebat) neq; hinc citius migrare, neq; diutius morari cupiamus, quā velit & iubeat ipſe Deus immortalis, qui, vt viuamus & ſimus, nobis contulit. Nemini igitur fas eſt filum vitæ abrumpere, aut animam à corpore ſeiungere, niſi ei demū, qui iſta inter ſe coniunxit. Sed vt qui Magiſtratus autoritate, inquit Plato, cu-

d 1. Phil. c. 1.

to, cuſtodiæ ſunt traditi, non antè inde exire debent, quàm is iubeat, cuius imperio illuc cõiecti ſunt: ita nos abſque iuſſu & nutu Dei animam, quam ab eo accepimus, à nobis abigere vel abſtrahere, ſiue ex hoc mortalis & miſeri corporis ergaſtulo egredi debemus *e*. Locus eſt apud Auguſtinum, vbi valde occupatur & laborat, dum oſtẽdit quàm grauiter peccant qui mortem aut optant, aut (quod magis reprehendendum eſt) vltro ſibi inferunt, potiſſimum quum id pœnæ aut infamiæ metu faciunt *f*. Id quod ante eum Ariſtoteles doctè oſtẽdit, non eſſe hominis fortis aut conſtantis, ſed potius ignaui & puſilli animi, manus ſibi afferre & propriæ necis inhumanum autorem fieri, vt hac ratione ſuppliciũ, egeſtas, aut aliud quidpiam moleſtum atq; acerbum vitetur *g*. Equidẽ non ſum neſcius, olim Annibalem, Catonẽ, Caſſium, Brutum, Neronem, Diocletianum, Sardanapalũ, Cleopatram, alioſque plurimos, ne in hoſtium poteſtatem venirent, mortem ſibi conſciuiſſe, aut certè à ſuis, ipſorum iuſſu confoſſos eſſe. Idem etiam ab aliis factum eſſe, præ morbi cuiuſdã & cruciatus vehemẽtia, qui eò impatientia & mœrore adacti ſunt *h*. Hoc quippe Adriano imperatori, & Silio Italico, excellentiſſimo poetæ, accidit: Lucretiæ item & Porciæ, Romanis matronis, illi quòd ſupra modum moleſtè ferret vim ſibi à Tarquinio illatã: huic quòd nimium mœrorẽ audita Bruti mariti morte perceperit. Quin & extiterunt alij, qui rerum huius vitæ pertæſi, idipſum in ſe admiſerũt,

e Plato in Phadone.

f De ciu. Dei lib. 1. cap. 16. ad 28. & ſeq.

g Ariſt. Eth. lib. 4. cap. 7.

h l. 3. ff. de bo. eo. qui mor. ſibi conſ.

vt ſarcina corporis depoſita, liberè eam felicitatem conſequerentur, quam ſibi animo finxerant. Sic Gymnoſophiſtæ & Brachmanes apud Indos: ſic Cleombrotus Ambraciota philoſophus. Is enim perlecto Phædone Platonis, in quo Socrates de animi immortalitate diſſerens inducitur, è muro ſe in mare præcipitem dedit, vt quiete tutiore, & beatorum cœtu citius frueretur [i]. De quo Ouidius ſic loquitur [k].

i Cic. 1. Tuſc. quæſt. Lact. De falſ. ſap. lib. 3.

Vel de præcipiti venias in tartara ſaxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.

k Ouid. in Ibin.

Callimachus etiam, Græcus poëta, elegans in eum epigramma conſcripſit, quod in Latinam linguam ab erudito quodam viro ita conuerſum eſt,

Vita vale, muro præceps delatus ab alto,
Dixiſti, moriens Ambraciota puer.
Nullum in morte malũ: docti ſed ſcripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Alij denique hoc fecerunt oſtẽtatione quadam, & vana ſpe æterni nominis quærendi, vt ſic quidem trophæum honorificum apud poſteros cõſtruerent. Quemadmodum Cleanthes, Chryſippus & Zeno in Græcia [l], Decij & Curtij Romæ, Menæceus Thebis, Codrus rex Athenis:

l Lactan. De falſ. ſap. li. 3. cap. 18.

Codrus pro patria non timidus mori [m]

m Horat. li. 3. Carm.

Et alij non pauci, in quibus Empedocles ſummus ille philoſophus. Qui vt Dei nomen hominum opinione ſibi compararet, apud Ætnam Siciliæ montem, cuius perpetua ſunt incendia à ſocio-

rum

rum cœtu ſubductus, clam ſe in ignem coniecit. Exiſtimabat enim fore, vt quum nuſquam appareret, inter Deos immortales receptus eſſe cenſeretur. De quo Horatius [n]. *n De arte poet.*

— Siculiq́ʒ poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnã
Inſiliit. Sit ius liceatq́ʒ perire poetis.

Fefellit tamen hominem ſpes ſua. Nam ignis vis crepidas æneas extra crateres euomuit, quæ totam eius ambitionem & impoſturam patefecerunt. Eſt ergo (vt ad rem initio inſtitutam redeamus) homine Chriſtiano indignum, & Deo vehementer diſplicet, vt quis vitæ finem anteuertat, & ſuis ſe manibus, à Domino nondum vocatus, conficiat: quum à Deo animam noſtræ cuſtodiæ & fidei commiſſam acceperimus. Quòd ſi ab amico depoſitũ quodpiam accepiſti, nempe argentum, monilia, aut quiduis aliud, eo ſi abutaris, merito & iure optimo improbus, perfidus & peruerſus haberis. Multò magis igitur ſi abuteris re tanti pretij, nempe anima, quam tibi Deus cuſtodiendam tradidit, hoc eſt, ſi eam iniuſſu dantis Dei à te amittas & expellas.

TEXTVS.

Quocirca quum ſe tam indignè deluſam animaduerteret, caſtitatis opinione excidiſſe, litem nefario proditori intendiſſe, tantaq́ʒ per-

ſeuerantia perſecutam eſſe, vt capite à prætore Regienſi damnatus ſit, vt mortui cadauer in quatuor partes diſſecaretur. Neque in eo tamen ſe conſtitiſſe: Sed poſtquam ille ad Senatum Toloſanum prouocauit, ſe à Patribus ſupplicem petiiſſe, vt ſibi eò venire (prouocatione enim rei ſe antea impediri, ne loco exiret) & de iniuria accepta conqueri, iudicioq́; hominem perſequi liceret.

ANNOTATIO LXXVIII.

Hæc erant non obſcura ſinceri animi teſtimonia, vt ſtatuere poſſis Rolſiam nunquã animũ induxiſſe à vero marito diuertere, aut fidem, quam illi debebat, vlla ratione fallere, licet corpore cum Tillio interim commixta fuerit. Si qua enim mulier cum viro aliquo conſuetudinẽ habet, quem maritum eſſe perſuaſa ſit, tantiſper ab adulteræ nomine & culpa aberit, quandiu ignoratione illa tenebitur, ſed tum demum duntaxat, quum reſciuerit, neque verbum vllum fecerit a. Id verò Rolſiæ noſtræ obiici non poteſt, quæ ſimulatque veſtigiũ vllum deprehendere aut olfacere cœpit, inſignis illius fraudis, qua eam Tillius nequiſſimus impoſtor, improbiſsimus veterator omnium quos poſt homines natos extitiſſe auditum eſt, perfidioſiſsimè ludificatus circumuenerat: neque vlli labori neque bonis pepercit, quin eum acerrimè perſequeretur.

a c. ſi virgo, 34. q. 2.

TEXTVS.

TEXTVS.

Hic verò operæpretium eſt geſtum huius recentis Guerræ narrare. Is quum ad ſororum occurſum & agnitionem lacrymas continere nequiuiſſet, tamen ad vxoris eiulatus, ſuſpiria & ſummos gemitus, nullum vnquam commiſerantis animi ſignum dedit. Imò vultu quodam auſtero, & ſeuero aſpectu, tanquam illam intueri vix dignaretur, Mitte verò, inquit, iſtas lacrymas, quibus nec poſſum nec debeo commoueri.

ANNOTATIO LXXIX.

Hic nimirum cum Propertio dicebat [b], *b Eleg. 6. lib.3.*

Nil moueor lacrymis: iſta ſum captus ab arte,
Semper ab inſidiis Cynthia flere ſoles.

Ac profectò, quoniam fœminæ ad plorandum natæ eſſe quodammodo videntur,

Quumq; volunt, iuſſæ proſiliunt lacrymæ [c]: imo *c Eurip. in Medea.*
— diſcunt lacrymare decenter,
Quoq; volunt plorant tempore, quoque modo [d]: *d Ouid. li.3. De arte amandi.*
non omnis fides earum lacrymis adiungenda eſt (quas ſæpiſsimè ſimulatio & hypocriſis excutit) neque etiam earundem verbis. Habent enim (vt ait Plautus) fœminæ in lingua mel, ſed cor felle contectum eſt, aceto imbutum, & amaritudine plenum [e]. *e Plaut. in Truculento.*

TEXTVS.

Nec excuſationem accipio, quum ſorores & patruum obtendis. Neq; enim pater, mater, patruus, ſorores aut fratres notiorem habere debẽt filium, nepotem aut fratrem, quàm vxor maritum. Itaq; domeſticarum turbarum & tragœdiæ totius nemo præter te culpam ſuſtinere debet. Ibi tum Iudices ipſi Rolſiam homini purgare conantur, verum omnia fruſtra: neq; enim primo illo cõgreſſu eius animus miteſcere, aut ab inſita auſteritate deduci potuit. Ita Tillij dolus planè patefactus, & recens iſte omnium conſenſu agnitus verus Martinus Guerra, admiſſus eſt: cauſa quoque ſuis omnibus numeris inſtructa & expedita, Iudicum ſententiam requirebat. Quapropter Curia magna & graui deliberatione omnibus expenſis, Arreſtum in hæc verba edidit.

ARRESTVM SENATVS TOLOSANI.

Viſo Proceſſu, habito coram prætore Regienſi, contra Arnaldum Tillium, cognomento Panſetã, ſe pro Martino Guerra gerentem, nunc in cuſtodia Palatina deten-

detentum, ab ipſo Prætore prouocantem, Sententia ampliſſimi ſenatus eſt, cauſæ totius acta omnia, vnà cum ipſa rei prouocatione annullanda eſſe. Ad debitum porro ſupplicium irrogandum, quo expietur impoſtura, crimen falſi nominis & perſonæ ſuppoſitio, adulterium, raptus, ſacrilegiũ, plagium, furtum, cæteraque crimina ab ipſo Tillio reo incarcerato commiſſa, quę omnia ex ipſo proceſſu reſultant, Senatus hominẽ hac ignominioſa multa damnauit atque etiamnum damnat, vt ad fores Eccleſię Artigatenſis, genibus flexis, induſio tectus, capite aperto, pedibus nudis, reſti collo innexa, tædam ceream accenſam manibus tenens, veniam à Deo, Rege, Patribus, Martino Guerra & Bertranda Rolſia coniugibus petat. Deinde carnifici in manus traditus, ab eo per plateas & compita Artigati circumductus, reſti collo reuinctus ante ipſius Martini ædes adducatur, ibique patibulo, quod eius rei gratia erectum illic fuerit, appenſus ſtranguletur: poſtremò cadauer comburatur. Cenſuit inſuper Senatus certis cauſis ad id adductus, vt bona ipſius Tillij, filiæ (quam ille

ex Rolſia, impiè ad hunc modũ per Martini Guerræ nomen & perſonam ſuppoſitam connubij prætextu decepta ſuſcepit) edicto poſſidenda tradantur: ſic tamen, vt litis impenſæ prius detrahantur. Porro Martinum, Rolſiam, & Petrum Martini patruum Curia, foro & lite eximit. Tilliũ denique reum ad prætorem Regienſem remittit, cui executionem rei iudicatæ, forma & verborum ordine præſcripta faciendam, mandat ac committit.

EXPOSITIO VERBOrum prædicti Arreſti.

TEXTVS.

Cauſæ totius acta omnia vnà cum ipſa prouocatione &c.

ANNOTATIO LXXX.

Gallica ſonant, *Prouocationem, et id à quo prouocatum eſt*, &c. Hoc autem eſt ipſum Prætoris Regienſis iudiciũ, quo Tillius capite obtruncari debebat, deinde corpore in quatuor partes diſſecari. Quod quidem iudicium à Patribus inductum eſt, quibus genus hoc mortis honeſtius viſum eſt, quàm vt adeo prodigioſo & nefario prodi-

proditori omni ſcelerum colluuione contaminato, imponeretur. Tametſi enim diſcrimen pœnarum, quod à iure noſtro inter nobiles & plebeios conſtituitur *a*, in Gallia non accuratè ſeruetur (vbi tenacius regula generalis rata habetur, dignitatis omnia priuilegia criminum & facinorum turpitudine obliterari ac tolli *b*) tamẽ in iudiciis capitalibus religiosè hoc ſemper factitatũ eſt, vt nobilibus caput amputetur, cæteri ſuſpendio tollãtur *c*. Sed & illud nõnulli addunt in Gallia ſeruari, ſi quis vel clariſſimo & nobiliſſimo genere ortus, proditionis atrocioris manifeſtus ſit, eum tunc non plecti capite ſed in patibulum tolli, & quidem in furcam cæteris ſublimiorem *d*.

a l. milites. C. de quæſt. l honor, ff. de pœn.
b l. 1. C. Vbi ſenator. l. iudices, C. de dignitatib. lib. 12.
c Accur. in l. 3. §. 1. ff. de re milit.
d Bald. in c. cum quidã, de iureiur.

TEXTVS.

Crimen falſi.

ANNOTATIO LXXXI.

Satis apparet tale crimen hîc intercedere in nominis mutatione & perſonæ ſuppoſitione, quum Tillius affirmaret ſe appellari & eſſe Marqinum Guerram. Quod enim dicitur nemini nõ licere vt nomen pro arbitrio mutet *e*, propterea quòd nomina tantùm ad dinoſcendos homines impoſita ſunt *f*: hoc tamen ita accipiendum eſt, ne quo fraudis faciendæ aut damni inferendi conſilio fiat *g*. Veluti quum Papa Sergius huius nominis ſecundus, cui Italicè nomen *Bocca di porco* (id eſt roſtrum ſuis) erat, Pontificiam di-

e l. vnica, ff de mutat. nom.
f l. ad recognoſcendos, C. de inge. & man. §. ſed quia, qui. mo. teſta. infirmẽ.
g d. l. vnica, & ſuprà annot. 12.

gnitatem aſſecutus, ad tollendam nominis obſcœnitatem & turpitudinem, ſe Sergium vocari iuſſit. Quæ res poſtea in conſuetudinem abiit, vt reliqui, poſtquam Papæ creati ſunt, nomine proprio relicto, aliud ſibi aſſumant. Quod etiã Chriſti exemplo ſe facere dictitant, qui Petri nomen Simoni Ionæ filio indidit, quum eum diſcipulum ſibi allegit[h]. Quocirca, modò abſit mala voluntas, fas eſt non ſolùm nomen, ſed etiam cognomen & ſtemmata commutare[i], quinetiam patriam ſibi aliam eſſe dicere. Quemadmodũ Paulus in Actorum hiſtoria ſe ciuem Romanum ferebat, quum illic non eſſet natus[k]. Qui alioqui nomen mutat, ſupplicio dignus eſt quod crimini falſi debetur[l], & quidem tam inſigni, vt aliis exemplo ſit, ſicut alibi loquitur Vlpianus Iuriſconſultus[m].

h Petr. Crin. De hon. diſcip. lib. 4. cap. 10.
i c. dilecta, vbi Panor. de exceſ. prælat.
k Act. ca. 16. c. ſi in adiutorium, diſtin. 10.
l l. falſi, ff. de falſ.
m l. quãuis, ff. de reb. cor.

T E X T V S.

Nominis & perſonæ ſuppoſitio.

ANNOTATIO LXXXII.

Tillius nomen & perſonam Martini Guerræ ſuppoſuerat, tantaque calliditate, tot retia tetenderat, quibus homines implicitos & confirmatos in hac perſuaſione detineret, vt ipſa Martini vxor, ſorores, & patruus, amplius triennio hac opinione faſcinati, manerent. Quæ ſuppoſitio inſignis eſt profecto, ſi vlla vnquam extitit, di-

gniſſima

gniſſima ob quam in talem nebulonem exquiſita atrociaq́ue exempla edantur [n]: etiamſi in noſtri iuris diſciplina rara adeo ſit huius criminis mentio, ita vt vix vllus textus reperiatur, qui huc commodè allegari queat. Modeſtinus quidem quum de eo agit qui ſe pro milite gerit, quum nõ ſit, aut qui inſignia ſiue ſtemmata vetita vſurpat, aut Principis literas effingit & ſupponit, graui ſupplicio eum iubet affici [o]. Papa Clemens III meminit cuiuſdam presbyteri, qui nomen & titulum Regis filij ſibi arrogauerat, cuius quidem rei prætextu armis ſumptis magnam ſeditionem excitauerat: at de ſupplicio ne verbum quidem facit [p]. Fertur etiã neſcio quid de Barbario quodam Philippo, qui tanquam liber eſſet ſe populo Romano inſinuauit, atq; eo nomine Prætoriam dignitatem obtinuit: verum rectè illud an perperam ab eo factum ſit, mirum apud Iuriſconſultum ſilentium [q]. Illud præterea nemini obſcurũ eſt, quemadmodum leges noſtræ de ſuppoſito partu loquuntur [r]. Sed quorſum hæc omnia? Sunt enim & inter ſe diſparata & ab hoc longè diuerſa crimina. Neque certi quicquam de ſupplicij genere vel modo, ſtatui poteſt, tum quia legibus noſtris nihil ea de re diſertè cautum eſt, tũ quòd veteribus huiuſmodi nominum ſuppoſitio aliquando non impunè modò, ſed pro ludo habita fuit: aliquando animaduerſione quadam, ſed leui, punita. Fuerunt paulo ſeueriores quidã, qui morte ciuili, pauciſſimi qui naturali vindicarunt. Quæ quũ ſic narro, ne lectori videar quic-

n l. quãuis, ff. de reb. cor.

o l. eos. §. fi. ff. de falſ.

p c. perpẽdimus, de ſent. excom.

q l. 2. ff. de off. pretor.

r l. 1. §. fin. & l. 2. ff. de Carbon. edic. l. 1. C. de falſ.

quam comminiſci, non piget altius quædam exempla, illuſtriora ſcilicet & nobiliora magisque memorabilia repetere. Iacobus quum Eſau fratrem maiorem natu patria benedictione fraudare ſtuderet, à matre Rebecca monitus, ipſius fratris nomen & perſonam ſuppoſuit, manus & collum pellibus hœdinis cõtegens, quò hirſutus inſtar eius putaretur, veſtes quoque eius pretioſas induens. Qua fraude (vt docet Scriptura) benedictionem à patre Iſaaco conſecutus, dominium in fratres accepit, vt bonis ſupra modum auctus à cunctis populis coleretur[a]. Ita tantum abfuit, inquit Auguſtinus, vt ob eam rem culpetur, nedum puniatur, vt contrà præmium fraudis reportet[b]. Eidem Patriarchæ quum Laban filiam minorem Rachelem deſpondiſſet, cuius cauſa ſeptem annos ſeruierat, ipſo nuptiarum die, pro ea Leam maiorem in toro geniali ſubiecit, & Iacobo comprimendam tradidit: atque ita hominem ad alteram ſeptennij ſeruitutem adegit, vt Rachele potiretur. At nullas huius facti pœnas luiſſe legitur[c]. Laodice quum interfecto marito Antiocho, Artemionem (mariti perſimilem) in lectum regium aſciuit: atque ille eius iuſſu, tanquam ipſe Antiochus eſſet, è lecto loquens, vxorem & liberos ciuibus commendaſſet: ea ratione perfecit, vt populus, qui Antiochum eum eſſe putabat (fuerat autẽ Antiochus toti populo acceptiſſimus & chariſſimus) regem abſque Laodices voluntate ac conſilio nollet eligere. Ita crudelis impoſturæ illa præmium mercedemq; rece-

a Gen. cap. 27.

b c. quæritur, §. I. 22. q. 2.

c Gen. cap. 29.

receperit, tantum abeſt, vt vllam pœnam lueret [d]. Barbarus ille Philippus ſeruus, cuius ſupra meminimus, à domino fugitiuus, quum populo Romano ſe liberum eſſe perſuaſiſſet, eaque perſuaſione Prætor fuiſſet creatus, neque legis neque magiſtratus vllo imperio pœnas dedit, verùm eius acta omnia populus probauit & defendit [e]: quum interim huiuſmodi temerarios ſeruos, qui talibus ſuppoſitionibus ad honores & dignitates peruenirent, Imperator Auguſtus dignis ſuppliciis afficiendos cenſuerit [f]. Papa Clemens III quum de eo ſacerdote ſcribit, qui filij regij nomine ementito, populum ad bella ciuilia commouerat, illiusque audaciæ pœnas flagris primùm cæſus, deinde ſuſpenſus luit, in dubium vocat, an non, qui tali eum morte affecerunt, excommunicationi obnoxij fuerint [g]: non vtique dubitaturus, ſi ſola ſuppſitio capitale crimen eſſet. Trebellium Calcam literis proditum eſt, perſonam filij Clodij ſuppoſuiſſe, vt eius bona occuparet: ſed fraudem non potuiſſe tanta aſtutia tegi, quin veritatis vi in apertum tandem prodiret, vnde ille cauſa in foro excidit. At ſuppoſitionis vllum ſupplicium fuiſſe ſumptum, hiſtoria non docet [h]. Idem accidit in muliere illa Mediolanenſi, quæ Rubriam ſe dicebat, ad bona veræ Rubriæ mortuæ inuadenda. Succubuiſſe conſtat illam quidem, idque Octauiani Auguſti prudentia, ſed vlli pœnæ ſubiacuiſſe, nullus ſcriptor tradit [i]. Neque tamen

d Plin. lib. 7. cap. 12. Solin. Polyhiſt. cap. 5.

e l. 2. de offi. præt.

f l. 2. C. ſi ſer. ad decur. aſp.

g c. perpēdimus, de ſent. excom.

h Valer. Max. lib. 9. cap. 16.

i Idē ibidē.

me latet tales ſuppoſitiones in aliquibus fuiſſe vindicatas, ſed leni admodum ſupplicio. Herophilus medicus, quum ſe Marij iunioris filiū prædicaret, eum ſibi populi fauorem conciliauit, ob Marij illius ſeptimo conſulatu celeberrimi memoriam (cuius iſte nepos videbatur) vt multi ex veteranis & ciuitatibus ſociorum eum tanquam veterem patronum & tutorem ſequerentur. Itaque quum Cæſar ex Hiſpania victor, deuictis Pompeij filiis Romam rediret, qui illi obuiam gratulandi cauſa procedebant, non minus Herophilum, quàm ipſum Cæſarem, ſalutabant, & honore afficiebant, cuius tamen trophæa & victoriæ monumenta toto iam orbe peruulgata erant. His rebus Cæſar commotus, quòd popularem quandam ſeditionem verebatur, contentus tantum exilio, maiori pœna abſtinuit. Quanquam ille poſt Cæſaris mortem, quia Romam reuerſus, Senatui minitabatur, ex Senatuſconſulto in vincula coniectus & necatus eſt k. Nicomedes Bithyniæ rex (vt eſt in hiſtoria) Cappadociæ regnum mortuo Ariarathe occupauit, data fide vxorem ſibi fore eius viduam Laodicen. Ea re Mithridates Laodices frater indignatus, hominem Cappadocia expellit, regnum Ariarathi, illius defuncti & Laodices filio, tribuit. Quem quum poſtea opera cuiuſdam Gordij necaſſet, Nicomedes veritus, ne ille acceſſione Cappadociæ auctus, Bithyniam quoque occuparet, iuuenem quendam ſcitum & ingenioſum ſubornat, qui populum Romanum adiret, atq; ab eo Cappadociæ

k *Idem ibid.*

padociæ regnum, tanquam vnus ex Ariarathis filiis peteret. Huic præterea Ariarathis vxorem Laodicen addit, quæ illuc quoque iret atque eum filium ſuũ eſſe diceret: vt ſcilicet tota res Romanis veriſimilior redderetur. Id Mithridates impedire cupiens, Gordium illum (de quo ſuprà egimus) eodem mittit, qui falſa omnia quæ ab iſtis dicebantur, eſſe doceret. Populus autem Romanus, perſpecta fraude & vtriuſq; temeritate conſiderata, nihil tamen grauius in eos ſtatuit, quàm vt Mithridati Cappadociam, Nicomedi Paphlagoniam adimeret, & vtrumq; populum liberum eſſe iuberet. Quo iure quum Cappadoces vti nollent, negarentq; populũ Rege carere poſſe; Senatus Ariobarzanem eis præpoſuit [l]. Iudæus quidam Sidonius, qui Alexandrum Herodis Antipę Iudæorum regis filium, oris, corporis, & vocis ſimilitudine aptiſſimè referebat, Alexandrũ ipſum ſe eſſe multis perſuaſit (quem tamen pater interfecerat) quum quidem multa indicia domeſtica proferret; monitore ſcilicet quodam vſus, quem in eo opitulatorem habebat. Vt porro rem omnem veriſimiliorem redderet, dicebat, milites, quibus ſui interficiendi cura mandata fuerat, ſui miſertos, abeundi poteſtatem feciſſe alio quopiam interfecto. Atque ita rem aſtu tractauit, & maximam Iudæorum partem in eam ſententiam adduxit, vt paſſim eum ſequerentur, ſicque Regio comitatu Romam veniret, regni partem ab Auguſto petiturus. Iudæi qui Romæ agebant, hominem venientem ſplendore maximo exce-

l Iuſtin. ex Trog. Pomp. lib. 34.

perunt, ſublimem eum de more per plateas & compita efferentes, & miraculi loco oſtentantes. At Auguſtus, qui natura à talibus fallaciis & dolis abhorrebat, aliquid commentitij ſubeſſe ſuſpicatus, vt quod erat patefaceret, hominem abductum, remotis arbitris interrogat, eiusque animum ea ſolertia pertentat, vt & ſuppoſitionem ipſam & eum cuius conſilio impulſus fuerat, planè aperiret. Verùm Auguſtus non tam in eum ſeuerus fuit, quàm rei grauitas póſcere videbatur: quippe quem ſatis habuit ad remigum pœnam ablegare. Autorem quidem & inuentorem huius fallaciȩ morte multauit *m*. Illud prȩterea notum eſt, extitiſſe quoſdam, qui huiuſmodi impoſturas auſi machinari, mortis naturalis ſupplicio affecti ſunt. In quorum numero recenſetur Smerdes, aut (ſi Trogo Pompeio credimus) Oropaſtes: qui quum planè ſimilis eſſet Smerdi (quem alij Mergidem dixere) Cambyſis Aſſyriorum Regis fratri, eum ſe eſſe omnibus facilè perſuaſit. Præceperat autem Cambyſes Prexaſpi cuidam, vt fratrem interficeret, ſomnio territus, & metu adductus, ne Regno ab eo ſpoliaretur. Iſta porro hominis aſſimilatio eo probabilior viſa eſt, quòd Prexaſpes ipſe ſe à Smerdis nece abſtinuiſſe, contra quàm iuſſus fuerat, diceret, & illius ſortem commiſeratum ſeruaſſe. His rebus effectum eſt, vt Smerdes (ſiue Oropaſtes) Rex creatus, regnum ſeptem menſium tempore tenuerit. Nam octauo menſe proditus eſt à Phædima, vna ex concubinis: quæ ab Othane patre monita,

m Ioſephus Ant. Iud. li. 17. cap. 18.

monita, cum eo iacens, & dormientis caput contrectans, aures truncatas eſſe deprehendit: quo ille ſupplicio, ob certum aliquod facinus à Cyro pridem fuerat affectus. Quod vbi innotuit, ſeptem ex primariis totius Regni ſupra modum indignati, & generoſo virtutis ſtimulo incitati, in eius perniciem cum iureiurando conſpirant, & gladiis ſub veſtibus occultis cincti, eum in Palatio trucidant *n*. Non magis propitia fortuna vſus eſt Prompalus: qui quum à Ptolemæo Ægypti, Attalo Aſiæ, Ariarathe Cappadociæ Regibus, & ab Antiochenis ſubmiſſus eſſet, vt ſe Alexandrũ Antiochi filium profiteretur, eoque nomine à Demetrio (qui Syriam occupauerat) paternum regnum peteret, rem aggreſſus, tanta fœlicitate perfecit, vt victor, Demetrio interempto, Syriæ regnum pacatè tenuerit. Sed bonorum & honorum copia, regnique dulcedine inebriatus, ac peccandi licentia, nemine reprehendente, corruptus, ita ſe omni voluptati & turpitudini addixit, vt Antiochenſes ipſi, flagitioſa eius vita & libidinibus nefandis offenſi (à quibus in regnum fuerat euectus) ab eo, ad Demetrij filium (qui & ipſe Demetrius, & poſtea Nicanor dictus eſt) defecerint. A quo iſte rex ſuppoſititius & adulterinus, in prœlio victus, in Arabiam profugit, ibique interemptus eſt *o*. Eadem ratione Archelaus ſe Mithridatis filium eſſe ſimulauit: quam in ſententiam Ptolemæum Ægypti Regem ita adduxit, vt ei filiam in matrimonium daret, ſibique in regno ſucceſſorem haberet. Sed à Ga-

n Herod. in Thalia, Iuſt. lib. 1.

o Appia. Alex. in Syriacis.

binio certamine ſuperatus periit [a]. Eadem arte, Othonis Imperatoris tempore, citharœdus quidam ſimili impoſtura vſus eſt, qui ſe Neronem eſſe prædicabat, quem oris ſimilitudine & corporis ſtatura proximè referebat. Addebat autẽ, quum fama Romæ fuiſſet, Neronem ſibi manus attuliſſe, aliũ eius loco fuiſſe interfectum. Quam obrem magna ſeditioſorum manu hoc nomine collecta, Syriam & Ægyptum obire cœpit: vnde aduerſis ventis in Cynthum inſulam, vnam è Cycladibus, delatus, ibi in milites qui ab Oriente veniebant, autoritate vtens, eos in ſua verba iurare compellebat: vt tota pene Aſia commoueretur. Illuc tandem Otho duas miſit triremes: à quibus ea qua adulterinus Nero vehebatur, deuicta, ipſe interficitur, & corpus Romam defertur [b]. In Franciæ Annalibus ſcriptum extat, Balduinum Flandriæ comitem, & primum Conſtantinopoleos Imperatorem, Anno CCXXV à Græcis in prœlio interfectum fuiſſe, quem tamen multo pòſt tempore adhuc viuere multi putabant, quòd eius cadauer nulla ratione reperiri potuiſſet. Paulo pòſt extitit apud Flandros quidam, cuius ea erat cum Balduino ſimilitudo, quiq́ue neſcio quo naturali faſcino valebat, vt omnium animos ſibi conciliaret. Quumq́ue multa certiſſima & vera ſigna proferret, à multis pro vero Balduino haberi, & ab aliquot Ciuitatibus pro eo agnoſci cœpit. Verùm Ioanna Comitis filia (ad quam patris morte Regionis dominatus peruenerat) nunquam animum induxit, vel

a Baptiſta Fulgoſ. Memorabil. lib. 9. cap. 16.

b Sueton. in Nerone, & Baptiſta Fulgoſ. loco citato.

patrem

patrem eum agnoſcere, vel tanquam Comitem admittere vellet: atque in eam rem conſilium & auxilium à Rege Franciæ Ludouico VIII auunculo petit. Is quum totam rem propius intelligere cuperet, hominem ad ſe Peronam acceſſit: ac ipſo quidem primo congreſſu valde obſtupuit, eum Balduino ſimillimum conſpicatus. Verùm quia recordabatur, à ſuo patre Philippo Auguſto, equeſtris ordinis inſignia Comiti olim collata fuiſſe, cominus eum aggredi inſtituit, rogans quo die, loco, & ratione Eques auratus creatus fuiſſet, vbi etiam primùm vxorem deſpondiſſet: deprehenſus impoſtor, tempus concedi ad reſpondendum poſtulat. Qua re permiſſa, ea ratione cœpit fallacia innoteſcere, & breui prorſus aperta, in popina repertus, ſuſpendio necatus eſt [c]. Fuiſſe alios non ſum ignarus, qui ſub tempus quo dolus aperiendus erat, morte imminente, exempti ſunt debitis pœnis, quas Magiſtratus de illis ſumpſiſſet. Quod Ioannæ Anglicæ vſu venit: quæ virili ornatu tecta, quum Athenas ſtudioſum quendam iuuenem amica comitaretur, tantos in omni literarum genere, atq; adeo Sacrarum, profectus fecit, vt Romam reuerſa, omnibus doctrina anteiret, ſiue interpretari doctè, ſiue diſceptare acutè inſtitueret. Accedebant etiam ſingulares ingenij aliæ dotes quibus abundè pollebat. Quo factum eſt, vt quum vir ab omnibus putaretur eſſe, maximam ſui opinionem excitarit, & poſt Leonis IIII mortem magno omnium Romanorum con-

c Paulus Aemil. De reb. geſt. Franc. lib. 7.

ſenſu ad ſummi Pontificatus faſtigium euecta ſit: in quo biennium totum, duos menſes & dies quatuor ſedit. Quin & diutius ſediſſet, niſi viliſſimum ſcortum libidine, cui iampridem aſſueuerat, ardens, cum quodam e familia rem habuiſſet. Sic enim grauida facta, quum quodam die S. Ioannis Lateranenſis ædem inuiſere vellet, partus doloribus ingruentibus, in via publica peperit, vbi locus eſt inter Coloſſum & S. Clementis ædem. Cuius rei documentum hodieque extat, quòd Papa quoties Lateranum iter habet in tanti ſceleris & prodigij horrorem, ab ea via iter aliò flectit. Quin & hoc obſeruatur, vt, ne quid ſimile rurſus contingat, quum Papa creatus eſt, in ſede S. Petri locetur (ea enim illius rei cauſa pertuſa vel exciſa eſt) Cardinalium autem vltimus Diaconus, ſubmiſſa manu pudenda Patris contrectat, & voce edita, *Papa*, inquit, *teſticulos habet* d. Hæ ſunt potiſſimæ de ſuppoſitis perſonis hiſtoriæ, quas quidem colligere potui. Ex quibus tamen, ac ne ex noſtris quidẽ legibus, certò conſtitui poteſt de genere pœnæ in hoc crimine. Nam & ipſa lex Antonini e, qui iubet crimẽ falſi, quum perſona ſupponitur, capitale eſſe (quod tamen ordinariam exilij & bonorum publicationis pœnam habet f. imò & bona ipſa hæredibus à Iuſtiniano redduntur, publicationis mulcta ſublata g) tamen capitalis vocis interpretationẽ, quæ ad mortem vel naturalem vel ciuilem h referri poteſt, Iudicis arbitrio relinquit: qui expenſis magna diligentia circunſtantiis omnibus, ſtatuet

d Platina in vitis Pontificum.
e l. 1. C. de falſ.
f l. 1 §. fin. ff. ad l. Corn. de falſ.
g §. fi. vt nulli iud. in nouel. colla. 9. Authen. bo. damn. C. de bon. damn. id annot. 55.
h l. edicto, §. 1, ff. de bon. poſſ.

vtra

vtra morte afficiendus ſit reus *i*. Tamen in hac noſtri Arnaldi Tillij cauſa, tam multa capitalia ſcelera concurrunt, quæ ſingulo extremo ſupplicio digna ſunt, vt nihil cauſæ ſit cur amplius dubitandum videatur: id quod ex iis quæ ſubiicientur, manifeſtius fiet.

i l.1.§.1.ff.de effractor.

TEXTVS.

Adulterium.

ANNOTATIO LXXXIII.

Tillij adulterium non eſt quòd pluribus conemur explicare, cuius ſatis ſuperque conuictus tenetur: tantùm de adulterij pœna diſſerendum eſt. In ea ſanè veteres Romani ſeueros ſe non præbuerunt, quòd id temporis nulli erant qui alienis coniugiis inſidiarentur, neque vllus ſermo habebatur de impudicitia & adulterio *k*. Quę cauſa quoque Lycurgo fuit, cur in adulteros nullam pœnam ſtatueret *l*. Quod vero ad Iuriſconſultos noſtros attinet, multi eos iudicant adulterium capite non ſanxiſſe *m*, ac ne exilio quidem multaſſe, niſi ſi demum inceſtum ſtuprum commiſſum vnà cum adulterio eſſet: veluti ſi quis conſanguineam nuptam violaret *n*. At noſtri Imperatores, maximè Chriſtiani & Catholici, legem à Deo immortali latam ſecuti (in qua adulteri morte plectuntur *o*) adulterium non ſolùm capitale eſſe cenſuerunt, ſed addiderunt gladio & morte naturali dignũ videri *p*. Ac Opilius quidẽ Macrinus, XXIII Imperator, coniuncta adulte-

k Vale.Max. lib.2.
l Plut.in Lycurgo.
m l.2.§.miles, ff.de adul. l.Claudius, ff.de iis qui.vt indig.
n l.ſi quis viduam, ff.de queſtio.
o Leuit.cap.20. Deu.22. Heb.cap.13.
p l.trãſigere, C.de trãſac. l.caſtitati, C.de adult.

q l.quãuis,l. 2.C.de adul. §.item l.Iul. de publ.iud.

r Iul. Capitolinus in vita Opilij Macrini.

a §.item l. Iulia.

b d.l.Claudius, & d.l. ſi quis viduam.

c l.3.C.de epiſ.aud.c.1. de homic.§. itẽ l. Corn. de pu.iud.

d l.3.§.fi.ff. de ſicar.

e l.illicitas, §. qui vniuerſas.ff.de offi.praeſ.l.ſi quid, ff. de off.procõſ.l.3. ff.de iuriſd.

f l.aut damnum,ff.de pœ.

g l.ſi quis filio, §.irritũ, ff.de iniuſt. teſt.l.3.§.fi. ff.de ſic.

rorum corpora ſimul cremari iubebat *q*. Idem aliquando duos milites, qui mulieri vim intulerant, duorum boum corporibus includi & inſui iuſſit, præter capita, quibus extantibus inter ſe colloqui & ſuam miſeriam lamentari conſpicerentur *r*. Iam verò ſi quis velit textus noſtrorum Iuriſconſultorum rectè examinare, quicquid adhuc iudicatum de eis ſit, reperiet eos non aliter de adulterio ſtatuiſſe. Id à Iuſtiniano diſertè oſtenditur, dum docet legem Iuliam de adulteris (quam Iuriſconſulti in Pandectis interpretantur) nuptiarum violatoribus & temeratoribus mortis ſupplicium impoſuiſſe *a*. Et tamen illud verum eſt, nõnunquam perſonarum, aliarúmue rerum ratione habita, fieri, vt gladij & necis ſupplicium exilio vel alia ciuili morte commutetur *b*. Non aliter ſanè quàm legimus in lege Cornelia de ſicariis, qua quum homicidas extremo ſupplicio afficiendos eſſe ſtatutum ſit *c*, fit tamen non raro, vt ob quaſdam circumſtantias pœna leuior, velut exilium, imponatur *d*. Et verò qui in Iuris noſtri lectione cum quodam iudicio verſati ſunt, eos non fugit, gladij pœnam duplicem eſſe, naturalem aut ciuilem. Quæ naturalis eſt, membra mutilat, aut diſſecat *e*, & quidem ſæpius vſque ad corporis & animæ ſeparationem *f*. Ciuilis leuius infligitur, nempe ob certas (vt diximus) circũſtantias, exilio aut triremiũ ergaſtulo, idq; vel in perpetuũ, vel in certũ quoddã tempus *g*: aut (ſi ex Pontificũ Ro. placitis loqui malumus) ſacrorũ interdicto & cẽſuris tantũ Eccleſia-

ſticis,

ſticis [h]. Quumque lex diuina adulterij conuictos tum virum tum mulierem interfici iubeat [i], noſtris Imperatoribus aliter in muliere ſtatuere, viſum eſt. Eam ſiquidem caſtigari primùm volunt, deinde monaſterio includi, vnde marito intra biennij tempus eam extrahere liceat. Nam hoc exacto tempore, ſi maritus de ea reuocanda non ſit ſolicitus, tum monachalem huius monaſterij ornatum ſumere, atque illic totum vitæ tempus peccata deflentem tranſigere iubẽt [k]. Romulus contrà, vt qui maiorem in fœminis continentiam & caſtitatem requirebat, eas morte multabat [l], viros impunitos relinquebat [m]. Vnde extitit conſuetudo, vt maritus vxorem in adulterio deprehenſam impunè occidat, quum vxor maritum in eodem genere peccantem, ne digito quidem attingat. Quod nihil in ſe iuris (vt ſanctè Cato loquebatur) neque rationis neque æquitatis habet [n]. Sed quis erit tandem huius orationis exitus? Certè ſi in adulteros animaduertere ex Ethnicorum inſtitutis vel legibus placeret, incerti admodũ hæreremus. Ex eis enim alij alio genere ſupplicij punierunt: alij ſeuerè vendicarunt, vt Parthi, Ægyptij, Locrenſes & Arabes: alij remiſſius, vt Lepræi, Gortynij & Piſidæ: alij nullas omnino pœnas ſumpſerunt, vt Indi, Maſſagetæ, & quædam porro Gentes certæ. In quibus & Nomades annumerari poſſunt, qui ſemper vxores inter ſe communes habere voluerunt [o]. Atque in eo ſanè genere digniſſimi ſunt, qui non prætermittantur, belli no-

h c. dilecto, de ſent. excom. in 6.
i Leui. c. 20.
k §. ſi vero. vt nulli iud. col. 9. nouel. auth. ſed hodie, C. de adul.
l l. palam, §. qui in adul. ff. de rit. nu. l. penul. C. ad Orfic.
m Plut. in Romulo.
n A. Gel. lib. 10. cap. 23.
o Strab. Geo. li. 16. Alex. Neap. Genial. dier. li. 4. cap. 1.

ſtri Canoniſtæ, qui præceptore Pontifice Alexandro III videntur adulterium in numero leuiorum & minorũ criminum ponere *p*. Tametſi enim Clemeus Petri ſucceſſor, aut (vt volũt alij) quartus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, eos docuerit, nullum flagitium, ſecũdum hæreſim, eſſe deteſtabilius, Deo magis exoſum, nec grauiori dignum ſupplicio *q*, iſti tamen inter minima illud retulerunt, neque tale eſſe voluerunt, vt clericus eius conuictus ſacris ordinibus mouendus ſit *r*: quòd grauibus demum & atrocibus flagitiis hæc exautorationis pœna debeatur *s*. At quo tandem in numero habebimus noſtros Gallos? qui (ſi quidem Ioanni Fabro & Gulielmo Benedicto credimus) iampridem adulterium inter facta laudabilia & ingenioſa connumerant, tãtum abeſt vt vllo ſupplicio puniendũ ducant *t*? Quod tamẽ falſo ab eis dici, & ad iniquã noſtræ Gentis contumeliam, crebris & variis noſtri fori iudiciis planum iam olim fecimus, vt nemo nõ perſpicere facilè queat. Enimuero ſi ita res haberet, quemadmodum iſti ſcripſerunt vt tempus olim fuerit, quum in Gallia maiores noſtri (quod mihi tamen non ſit veriſimile) ad ſtupra & adulteria ipſa adeo conniuerent, vt aliqua laude afficerentur, nedum horrori eſſent, & pœnis reprimerentur: ecquod argumentum firmius afferri poſſet, cur illius ætatis Iudices non tam Chriſtianorum nomine cenſendos putaremus, quàm Barbarorum vel Turcarum, quibus lex ipſa in omnes voluptates & libidines ruere permittit? nihil mi-

p c. at ſi clerici, §. 1. de iud.

q Clemens in epiſt. ad Iac. frat. Domin. c. quid in omnibus, 33. q. 5.

r c. cum non ab homine, de iud. Panor. in c. at ſi clerici, in prin. nu. 38.

s c. tua, de pœ. doct. d. c. at ſi clerici, & d. c. cum non ab homine.

t Io. Fab. in lib. 1. C. quæ ſit lon. conſ. Gul. Ben. in c. Raynutius, verſ. cuidam Petro, num. 62. de teſt.

hil minus quàm Dei & diuinæ doctrinæ notitiã habuiſſe? Is enim ſuo ſacro verbo docet corpora noſtra membra eſſe Ieſu Chriſti, nõ debere fieri membra meretricis, neque vlla ſcortatione aut fœda cupiditate contaminari, ſed potius ſanctè, caſtè & pudicè haberi *b*. Deinde adulteros, *b 1. Cor. c. 6. 2. Theſſ. c. 4.* ſumma ſemper ſeueritate Deo pœnas expetente, punitos fuiſſe, non in lege modò, in qua capite damnantur abſque vlla veniæ ſpe *c*, & (vt loquitur Gregorius) ſine miſericordia *d*, ſed etiam in Euangelio, in quo monemur, ne nos ipſi decipiamus. *c Leuit. 20. Deut. 22. d c. reos, 23. q. 5.* Neque enim ſcortatores & adulteri, inquit Paulus, regnum cœleſte poſſeſſuri ſunt *e*, ſed à Deo viuo omnino damnabũtur *f*. *e 1. Cor. 6. f Heb. 13.* Quare ſiqui adhuc miſero quodã fato tam alto ſomno occupati ſunt, vt ad hæc facinora parum ſe attentos præbuerint, nunc certè tempus eſt, vt ex hoc veterno euigilent, apertiſq; oculis nõ tam ſpectent quid ſuperiorib. ſeculis vel hîc vel alibi factũ ſit, quàm quid à Deo immortali imperatum ſit, aut legibus ciuilibus præſcriptum *g*: præcipuè verò *g l. ſed licet, ff. de offic. preſ.* quum alterius circunſtantiæ alicuius acceſſione grauius redditur: quemadmodũ in iſto noſtro, vbi ſimul perpetrata eſt prodigioſa & ante hoc tempus inaudita proditio. Non dubium eſt igitur, quin Tillius vel vnius adulterij nomine morte afficiendus eſſet *h*. *h §. ſi vero, & nul. iud. in nouel. col lat. 6. auth. ſed hodie. de adul.* Etenim ob leuius multo crimen cauponæ cuiuſdam famulus ex Senatuſconſulto Curiæ Pariſienſis, menſe Maio 1551 ſuſpenſus fuit. Is porro cum hera rẽ habuerat, in quã ebriã & dormientẽ in lecto heri abſentis in-

i l. quæ adulterium, C. de adul. Pap. tit. de adul. c. 4.

ciderat[i]. Iam verò tali mortis ſupplicio, quod aduerſus adulteros conſtitutum eſt, haud ſcio an vel aliqua ex parte eximi debeant Sacrifici, Monachi, ac reliqui, qui ſe proprio voto liberè perpetuæ continentiæ addixerunt. Id enim nonnullis videtur: propterea quòd, inquiunt, iſti quoties libidinis ſtimulis agitantur, quum diuinitus continentiæ donum non acceperint, non habent vbi honeſtè tanti æſtus incendium reſtinguere queant. Itaque ſi in aliquam fortè mulierem, etiam coniugatam animum conuertant, videntur aliquam excuſationem mereri, perinde ac qui famis vehementia compulſus, nonnihil cibi ſuffuratur, quo latrantem ſtomachum compeſcat[k]. Sed hæc ſententia impietatis plena eſt, & rationis nulla firmitate nititur. Primùm enim in iis quę lege diuina, imò ipſa natura, vel præcipiuntur vel vetantur, ſimplicitatem, neceſsitatem aut vllam tentationem excuſare nefas eſt[l]. Alioqui quæ per inopiam mulier ſe proſtitueret, excuſari mereretur: quod vel cogitare nimiæ eſt improbitatis, quodque Ethnicis ipſis fuit deteſtabile[m]. Sunt enim homini potius extremæ quæque calamitates perferendæ, imò mors ipſa, quàm vt quis minimam rem facere ſuſcipiat, quæ cum diuina lege pugnet[n]. Præterea hoc vitio verti in primis Sacrifico vel Monacho debet, qui non ſatis ſtudioſe virium ſuarum exiguitatem conſiderauit, ſed nimia ſui præfidentia, temeraria facilitate ſe in voti aculeos induit. Quamobrem ſi labitur, neque

k c. ſi quis propter. de furt.

l l. Venia, C. de in ius voc. glo. in c. ſicut, de cõſec. diſt. 1.

m l. palam. §. non eſt, ff. de rit. nup.

n c. ſtatue, 32 q. 5.

votum

votum quo ſe obſtrinxit, ſeruat, ſed adulterio corpus fœdat, tantum abeſt vt pœnam effugere debeat, vt contrà grauius, mea ſententia, ſupplicium perferre mereatur, cuius ſcilicet duplex ſcelus eſt, temeritate primùm, deinde violatione præcepti diuini, quo omnis pollutio & ſcortatio, in primis verò adulterium, vetatur [o]. Quod etiam (vt iam à nobis dictum eſt) morte plecti voluit [p], ſiue circunſtantiæ aliquot pœnam vel leuare vel omnino tollere videantur. Quales poſſunt recenſeri ignorantia [q], vis, [r] ætatulæ teneræ imbecillitas, quam crebri actus impudici & obſcœni [s] in hoc præcipitium deturbarint, & alia huiuſmodi: quorum omnium momenta arbitrio boni & æqui Iudicis relinqui poſsint [t].

o Gen. 26. Exo. 20. 1. Cor. 6. Heb. 13.
p Leuit. 26. Deut. 22.
q Gen. 19. c. 1 §. quod autẽ 29. q. 1. c. in lectũ. c. ſi virgo, 34. q. 1.
r l. ſi vxor, §. ſi quis planè l. vim paſſam, ff. de adul. l. fœdiſsimam, C. eo. tit.
s l. ſi adulterium, §. duo fratres, ff. de adul.
t l. 1. §. 1. ff. de effract. & expil.

TEXTVS.

Raptus.

ANNOTATIO LXXXIIII.

Qui impudico mulierum amori ſemel indulſerunt, ij ſe paulatim huic inſaniæ ita conficiendos addicunt, vt nõnunquam apud ſe ipſos non ſint. Quumque pudicitiam eius quam depereunt expugnare ſe non poſſe animaduertunt, vt interim effrenatæ imò efferatæ cupiditati morem gerant, ſexcenta blanditiarum & fraudum genera comminiſcuntur: quin & plerunque ad vim inferendam animum appellunt. Vnde committitur flagitium quod Raptum appellamus.

Cuius noſter iſte Tillius perſpicuè reus peragitur, vt raptũ in muliere coniugata feciſſe intelligatur: ſicq; capitis ſupplicio dignus *c*. Raptam n. eſſe eam dicimus, non ſolùm quæ vi è loco in locũ abducitur *d*, ſed etiã quæ dolis, fraudib. & falſis perſuaſiõibus pellicitur, & circũuenitur *e*. Qui quidẽ raptus non minus capitalis habetur, quàm ſi aperta vi perpetratus eſſet *f*: tum quia aſſenſio blanditiis & fallaciis extorta, impoſtorẽ culpa nõ liberat, neq; ipſam vitij turpitudinẽ tollit *g*, tum quia callidè perſuadere, verborum lenocinio & blandis illecebris adhibitis, non minoris eſt nequitiæ quã inuitũ vi cogere *h*. Ita Vlpianus quoq; Iuriſconſultus reſpondet, qui hominem liberũ apud ſe retinet, etiã volentem & conſentientẽ, ſi tamen huiuſmodi voluntas & conſenſus oriuntur ex aſtutia, ſubornatione, & falſa perſuaſione eius qui retinet, eum non minus damnandũ videri, quàm ſi vi retineat *i*. Atq; eo demũ ſenſu accipiendi ſunt noſtrarum legum textus, qui in raptu videntur, vt raptus dicatur, vim & coactionẽ requirere *k*. Hinc nonnulla excuſationis ſpecies elici poteſt, qua Rolſiæ vti fas ſit. Cui enim vis illata eſt, ea neque ſtupri neque adulterij damnari debet *l*, etiamſi præ pudore ſcilicet non ſtatim enunciarit, vel diſertè quoq; vetuerit maritũ de eo certiorẽ fieri *m*. Imò Imperator in ea cauſa famam & exiſtimationem integræ & caſtæ mulieris illi manere illibatam & illæſam iubet.

c l. qui cœtu, §. fi. ff. de vi pub. l. vnica C. de rap. vir.
d §. item lex Iulia, de pu. iud. c. lex, §. fi. c. de rapto rib. 36. q. 1.
e l. vnica. C. de rap. vir. §. 1. de rap. mul. coll. 9. gl. in c. ſcienti, de reg. iu. in 6.
f l. 1. §. vſque adeo, ff. de iniur. l. eum C. de apoſt.
g l. vnica. & ibi Bal. C. de rap. vir.
h l. 1. §. perſuadere, ff. de ſer. cor.
i l. 3. §. ſiquis volentem, ff. de lib. ho. ex hib.
k §. item lex Iul. de publ. iud c. lex, §. fi. c. de rapt. 36. q. 1.
l l. ſi vxor, §. ſiquis plane, l. vim paſſam, ff. de adul. l. 1. §. remouet, ff. de poſtul.
m d. l. vim paſſam. l. fœdiſſimam, C. de adul.

TEXTVS

TEXTVS.

Sacrilegum.

ANNOTATIO LXXXV.

Vt liquido conſtet, veteratorem iſtum Tillium, etiam ſacrilegij reum eſſe, ſciendū eſt, quãuis homines olim profani & ethnici (quibus tota pietas & beatæ vitæ ſpes, totaque numinis maieſtas in Idolis poſita erat) id demum ſacrilegij nomine cenſerent, quod è templis, ad cultum Idolorum ædificatis, rapiebatur & tollebatur: atq; ex eo more ſacrilegium propriè hodieque referatur ad furtum rerum ſacrarum, vel certè è locis ſacris ablatarum [a]: tamen latius aliàs patere huius vocis ſignificationem, vt qui Deos contemnerent, eo nomine appellarentur. Quo modo Lycurgus ab Ouidio alicubi ſacrilegus dicitur, quòd ſacra Liberi patris contempſiſſet. Pari ratione Chriſtiani ſacrilegium dicunt in genere, quum res ſacræ polluuntur & profanantur, quocunq; id modo fiat, quū Deus aut quicquid à Deo inſtitutū eſt, contumelia afficitur: non adhibita nimirum debita reuerentia [b]. Verbi gratia, corruptela in Baptiſmi ſacramento, meritò ſacrilegium appellatur [c]: item vis illata miniſtris eccleſiæ Chriſtianæ [d]. Magia quoque eo nomine dici debet, quòd qui eã exercet, impiè verba ſacra vſurpat, dum eis ad malos Genios euocandos abutitur [e]. Qui negotiationẽ quandam rerum ſacrarum exercet, vt eas quęſtui habeat, is non mi-

a l.1. l.4. l.6. l.9. ff. ad l. Iul. peculat. c. ſiquis contumax. c. quiſquis 17. q. 4.

b Gl. c. ſacrilegium 17. q. 4. d. c. ſiquis contum.

c c. ſi vos, 23. q. 5.

d d. c. ſiquis contum.

e c. illud, in fi. 26. q. 2.

f c. audiuimus, 1. q. 3. nus ſacrilegus eſt *f*. Præterea qui de principis autoritate & poteſtate diſputat, & in dubium reuocat, num quem ille ad fungendum aliquod munus elegit, idoneus ſit, & dignus, is quoque in ſacrilegij nomen incurrit *g*. Saluſtius vt in eius ſcriptis legimus, Terentiam Ciceronis vxorem ſacrilegam vocat *h*, quod moribus adeo prauis erat, vt Cicero ab exilio reuerſus, cum ea diuortium facere ſit coactus *i*. Quæ quum ita habeāt, non dubium eſt quin qui matrimonio, quod profanant, abutuntur, vtpote re ſacroſancta, ſacrilegi iure optimo haberi, eoque nomine mortis ſupplicio affici debeant *k*. Ea enim fuit Sacrilegorum ordinaria pœna: qui omni ætate adeo abominabiles fuerunt, vt veteres ſæpe viuos eos cremari iuſſerint *l*. Quumque in aliis criminibus (atque adeo in iſto quoque) ætatis commiſeratio Iudicum animos flectere debeat, vt pœnæ genus mitius ſumant *y*, Ælianus tamen hiſtoriæ mandauit, puerum quendam, qui tabellam auream, ex corona Dianæ abſtulerat, morte ab Athenienſibus fuiſſe damnatum, quòd quum puppas cæteraque ludicra (quibus hæc ætas delectatur) Deæ offerret, illam tabellam rapiendam delegerat *z*.

g l. 2. C. de crim. ſacrileg.

h Saluſtius in Cicer.

i Plutar. in Cicer.

k l. quamuis l. 2. C. de adul. c. non ſolum, 11. q. 3.

l l. ſacrilegii. ff. ad l. Iul. pecul.

y l. auxiliū, §. in delictis ff. de minor. d. l. ſacrileg.

z Aelian. Varia hiſt. lib. 5. cap. 16.

TEXTVS.

Plagium.

ANNOTATIO LXXXVI.

Plagij etiam crimen hoc facto continetur: quo

tenentur non ij modò qui hominem liberum donant, vendunt aut emunt a, ſed etiam qui domi celant, captiuum tenent ne prodeat, aut alia quauis ratione abutuntur b. Crimen haud dubiè capitale ex ipſius diuinæ Legis conſtitutione. Qui ex fratribus ſuis aliquem furatus fuerit (inquit Dominus) deinde vendiderit, aut aliàs fuerit abuſus, capitale eſto c. Hoc autem præcipuè locum habet, quum crimen factum eſt in perſona propinqua, & valde coniuncta, vt in filio vel vxore d. Neque obſtat quod excipi poteſt, Rolſiam ſua voluntate retentam fuiſſe, quippe quæ nunquam contradixit e, imò pertinaciter ſemper affirmauit, eſſe eum ſuum maritum. Nam (vt ex iis quæ modo diximus, poteſt intelligi) non eſt propriè voluntas, poſtquam coacta eſt, vel fallaciis & dolis extorta f.

a l.1.l.3.l.penul.ff.ad.l.Fau.de plagia.l.quoniã ſeruos,l.penul.C.eo.tit.

b l.1.ff.de lib.ho.exhib.& aliis locis tã citatis.

c Deu.c.24.

d l.fi.C.de plagiar.

e l.2.§.Voluntatem,ff.ſol.mat.

f l.3.§.ſi quis Volentem,ff.de lib.ho.exhib.

TEXTVS.

Furtum.

ANNOTATIO LXXXVII.

Furtum in hac cauſa, & latrocinium, non modò fortunarum iſte facinoroſus commiſit (qui bonorum partem diſtraxit, & variis emptoribus vendidit) ſed etiam honoris & exiſtimationis tum Martini tum ipſius vxoris. Obiiciet aliquis furtum non eſſe capitale, nec morte puniendum. Id ſanè ex inſtituto quidem Lacedæmoniorum & Æegyptiorum proculdubio verum

g A.Gel.li.11. c.18. Pet.Cri. lib.3.c.13. eſt, apud quos omnibus furtis impunitas conceſſa eſt *g*: quinetiam ex noſtro iure idipſum fateor. Iuſtinianus enim diſertè teſtatur ſibi non placere, vt quis furti cauſa moriatur, aut membrorum mutilatione amputationéue plectatur, ſed alia ratione coerceatur, cuius rei arbitrium ſit penes Iudicem *h*. *h §.fi.Vt nul. iud. in nou. colla.9. aut. ſed nouo iure, C. de ſeruo fug.* Hoc autem de ſimplici furto accipiēdum ſit. Nam tale qui admittunt, eos nulli vnquam Legislatores (ſi vnum draconē excipias) morte punierunt, ſed pecuniaria, vel dupli, tripli, quadrupli, quintupli *i*, aut leui deniq; alia pœna contenti fuerunt *k*: *i Exo.ca.22. §. quadrupli, de actio.* quod putarent, credo huiuſmodi furta magis egeſtate compellente fieri, quàm conſilio diteſcendi, aut proximo nocēdi *l*. *k l.ſerui & fi lij, ff. de fur. l. in ſeruorū, l. capitalium, §. nō omnes, ff. de pœn.* Vnum porro draconē, veterē Athenienſium legislatorē, numero exemi: qui crudelibus & ſanguinariis legibus in omnes reos, abſq; vllo diſcrimine, morte animaduertebat, maximè verò in fures, ſi vel rem quæ obolo veniret ſurripuiſſent *m*. *Gel.l.11.c.18 l c. ſi quis propter neceſſitatē de fur.* Quoniam tamen omnibus peccatis, quātumuis leuibus, eandē pœnam conſtituebat, vt vel hominem deſidioſum & ab opere vacantem morte multaret, omnes eius leges (quas Demades dicere ſolebat, ſanguine non atramento ſcriptas fuiſſe) tanquā barbaræ & inhumanæ ſublatæ & antiquatæ ſunt, aut ſaltem tacito quodā Ciuium conſenſu in obliuionem abierunt: vna tātùm ſeruata, quæ homicidium capitale eſſe iubebat *n*. *m Gel. li. 11. cap.18.* *n Idem, ibi.* Verùm furta atrocia, & aliqua rei grauitate inſignia, atrociori & ſeueriori pœna digna eſſe non eſt dubitandum *o*, vt nonnunquam ad mortem *o l. ſaccularij, ff. de extraor. crim.*

tem ipſam progredi liceat, ſiue ciuilis ea, ſiue etiam naturalis ſit[p]: veluti quæ ſacrilegi committunt, expilatores, diætarij, & pacis violatores[q]. In quorum albo non eſt obſcurum, iſti Tillio locum fore. Nam ſacrilegum eſſe iam demonſtratum eſt[r]: Expilator autem eſſe facilè intelligitur, qui nihil reliqui fecit ex opib. & facultatib. Martini Guerræ[s]. Præterea eſt planè diætarius aut (vt alij malũt legere) directarius: vt qui clam & proditoriè non cubiculum inuaſerit, ſed totam domum expilauerit & exhauſerit[t]. Eſt inſuper pacis violator, atque adeo capitali pœnæ obnoxius ſi alioqui leuiſsimum furtum commiſerit[u]) in hoc præſertim facto, vbi comperitur turbas intuliſſe domui & familiæ bene compoſitæ: quæ ſanè violatio eſt atrociſſima pacis ſupra modum colendæ & tranquillitatis publicæ[x]. Quæ profecto ſeueriſsima Legum ſanctione notatur, etiamſi adulterij flagitium non acceſſerit[b].

TEXTVS.

Cæteraq; crimina.

ANNOTATIO LXXXVIII.

Ea verò ſunt multæ aliæ impoſturæ in iſto ſcelerato deprehenſæ, præter impias diuini nominis execrationes ſeu blaſphemias quibus ſcatebat, vt antea oſtenſum eſt. Quo loco etiam de pœna ipſa diſſeruimus[c].

p l. cum ſeruus, ff. de cond. ca. da. l. capitaliũ, §. famoſos, ff. de pœn.
q l. 1. §. 1 ff. de effract. §. ſi quis quinq; de pac. tene. & eius vio-la. in feudis, d. l. ſaccularij.
r l. lege, §. 1. l. ſacrilegij., l. ſacrilegi, ff. ad l. Iul. pecul. l. quanuis, la. 2. C. de adul.
s l. 1. §. expilatores, ff. de effract.
t l. ſaccularij.
u d. §. ſiquis quinque.
x l. ſi. ff. de li. exhib.
b l. 1. ff. de extraor. crim.
c Annot. 36.

TEXTVS.

Ad fores Eccleſiæ.

ANNOTATIO LXXXIX.

Propter offenſam nempe Deo ipſi illatam, perfœdè violatum matrimoniũ, ſanctum & venerabile vitæ genus: quod Deus à ſe inſtitutum cohoneſtari voluit Filij ſui præſentia, qui illic etiam primordium ſuorum miraculorum, & primitias quaſdam edidit [d]. Æquiſſimum igitur illud erat, vt expiatio tam horrendi ſceleris, ab ea agnitione & confeſſione inciperet, quæ ad templum & domum Dei vſurparetur [e].

d Ioan. c. 2.

e Eſa. ca. 56. Matt. 21.

TEXTVS.

Artigatenſis.

ANNOTATIO XC.

Viſum fuerat antea Patribus, eam confeſſionem à reo obeundam eſſe in ipſo quoque Curiæ tribunali, quo die Senatuſconſultum ſiue ſententia pronuntiaretur. Verùm poſtea conſideratum eſt, temerarium iſtum hominem, eſſe impudentia immoderata, & incredibili arrogantia, verborumq; petulantia, Theone quondam & Archilocho ſuperiorem, vt veriſimile eſſet eum ſubinde & tertio quoque verbo interturbaturum fore, quum Curiæ Præſes ipſam ſententiam pronuntiaret. Quæ ſola cauſa Patribus

bus fuit aliter ſtatuendi, qui ſatis habuerunt, quòd ea Artigati, vbi ſcelus commiſſum fuerat, exequerentur.

TEXTVS.

Carnifici.

ANNOTATIO XCI.

Gallica periphraſis dicit executorem ſupremæ iuſtitiæ. Hoc porro eſt quod Iuriſconſulti appellant merum imperium, id eſt ſupremæ iuriſdictionis autoritas, ſiue gladij poteſtas, ad animaduertendum in facinoroſos, & pœnas corpori infligendas flagris, membrorum mutilatione, morte denique naturali, ſi fuerit neceſſe *e*. Ea quoniam carnifices exequuntur, ſupremæ iuſtitiæ idcirco Executores dicuntur.

e l. ff. de iuriſdict.

TEXTVS.

Ante ipſius Martini ædes.

ANNOTATIO XCII.

Congruebat etiam vt abominandus iſte impoſtor, qui tam horrendam ipſius domus labem & familiæ perniciem molitus fuerat, ante ipſas ædes pœnas debitas lueret, in quibus tam nefariam proditionem deſignauiſſet, & tandiu in ea velut fœdiſſimo cœno deſediſſet *f*. Quam in ſententiam non abs re fuerit ipſa Calliſtrati Iuriſcõſulti verba huc adſcribere. Famoſos latrones, inquit, in iis locis vbi graſſati ſunt, furca figendos

f l. capitaliũ §. famoſos. ff. de pœ. Auth. qua in prouin. C. vbi de crim. ag. op.

quam pluribus placuit, vt & cōſpectu deterreantur alij ab iiſdē facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & affinibus interemptorum, eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia feciſſent *g*.

g d. §. famoſos.

TEXTVS.

Appenſus, ſtranguletur.

ANNOTATIO XCIII.

Hoc ſanè ſupplicium (quod antea docuimus) digniſſimum erat tam deteſtabili & flagitioſo proditore *h*. Suſpendium enim inter omnia pœnarum genera, quæ à veteribus excogitata ſunt, eſt ignominioſiſsimum, fœdiſsimum, turpiſsimum, & maximè infame. Quod ideo à Poëtis informe, infœlix, vile & turpe vocatur. Quale eſt illud Virgilij de Amata *i*, Lauiniæ matre, quæ in filiam indignata, quòd Æneæ nupſiſſet (eam enim mater cum patre Latino rege, Turno deſponderat) ſuſpendio vitam ſibi ademit,

h Accur. in l. 3. ff. de re mil. Bal. in l. cum quidam, de ſur. ſur.

i Aeneid. lib. 12.

Et nodum informis lethi, inquit, *trabe nectit ab alta.*

Achæus Lydorum Rex, quum populum immodicis tributis & vectigalibus vexaret, ſeditione populi coorta, quo res illius poſteris & cęteris ſimilibus tyrannis ſempiternæ ignominiæ eſſet, pedibus ſurſum verſis, & capite in Pactolum flumen (cuius arena aurea eſt) dependente ſuſpenſus eſt, vt Ouidius ſignificat his verbis *k*,

k Ouid. in Ibin.

Morte vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer aurifera reſte pependit aqua.

In li-

In libris item Pontificum Romanorum inter cætera conſtitutum erat, vt cadauera ſuſpenſorum, tanquam abominanda nulla ſepultura afficerentur, ſed inhumata ſub dio iacerent, quæ ab auibus, canibus & aliis animalibus fame efferatis, vorarentur.

TEXTVS.

Poſtea cadauer comburatur.

ANNOTATIO XCIIII.

Si ſummo iure agere placuiſſet, ipſa rei grauitas poſtulare videbatur, vt viuus cremaretur *l.* Verùm vt occurreretur cuidã deſperationi, quæ miſeri animum ob cruciatus vehementiam ſubire potuiſſet, Senatus cenſuit antè ſtrangulandũ eſſe. Quæ res ad omnes Iudices monendos valebit, ne niſi ob magnas & illuſtres cauſas, crudeli & barbaræ feritati indulgeant, vt in viuis cremandis vel per ſingulos artus diſcerpendis miſeris hominibus. Qua tamen in laniena nonnulli ſanguinarij adeo ſibi placent (homines ingenio à natura humana degenere, quos ad omnem immanitatem natos eſſe putes) vt nunquam ſibi ſatisfactum, aut ſuam crudelitatem exaturatam eſſe ſentiant, niſi poſtquã bellum cum ipſa natura geſsiſſe videantur, & nouis inauditiſq; ſuppliciis, proximorum ſanguinem tanto furore profudiſſe, vt crudeliſsimos quoſq; tyrannos tã barbaræ & immitis ſæuitiæ pudere poſsit. Quod ex natura quadam beluina plerunque proficiſcitur,

ll. ſacrilegij, ff. ad leg. Iul. pecul.

nonnunquam etiam ex ignorantia nequitiaque ac improbitate. Quippe (præterquam quòd

Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius m.)

m Teren. in Adel.

quemadmodum imperiti homines hoc prætextu putant ſuam ignorantiam & inſcitiam occultare, ita improbi hac ſummi iuris ſpecie, & pœnarum ſeueritate, vel omnino obliterare, vel aliqua ex parte eluere vitæ ſceleratæ & corruptæ ſordes ſtudẽt: quum interim non cogitant apud ſe omnes nos eſſe Chriſtianos, eiuſdẽ Patris cœleſtis filios, vno Baptiſmo regenitos, atq; eo Eccleſiæ Dei inſitos, vno Ieſu Chriſti, capitis noſtri ſanguine redẽptos, cuius membra omnes ſumꝰ, cuius auſpicijs aduerſus ſatanã communẽ naturæ hoſtem pugnamus. Qui quũ ad nos vorandos dies totos & noctes obambulet, ſi quẽ fortè incautiorem corripuerit, omnes id conari deceret, vt illius onus miſericordia quadã & compatiendi voluntate ferrent n, miſeri vicem ex animo dolentes. Sic enim ſtatuere debemus, iudicij & victoriæ eandem eſſe rationẽ, victoriã porro quæ nulla humani ſanguinis iactura cõparatur, eam demum illuſtriſſimã, ſplendidiſſimã, Deoq; acceptiſſimam eſſe. Quæ non eò dico quòd gladiũ tolli velim, quẽ ſcio diuinitus datũ eſſe magiſtratibus ad irrogandas pœnas, iis qui male faciunt o. Neq; me latet verum eſſe Publianum mimum,

n Gal. ca. 6.

o Rom. 13.

Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis.

& pœnarũ ſeueritatem acerbitatemq; nonnunquam doctrinam eſſe ac normã rectè viuendi p.

p A. Gel. lib. 20. cap. 1.

Sed

Sed hoc moneo, magna hanc rem prudentia & conſilio adminiſtrari debere, nec Iudices decere, vt ſanguinis fratrũ Chriſtianorum prodigi ſint, imò in clementiam & miſericordiam quàm in crudelitatem ac ſæuitiam propenſiores eſſe debere: cùm quia nihil minus decorum & laudabile eſt, quàm ad ſupremam autoritatem accedere acerbitatem & inhumanitatem ingenij, tum verò quia inferioribus exemplo eſſe debent, qui-bus lucernarum inſtar prælucent. Quocirca vbi ſumendum erit de facinoroſo ſupplicium, id fiat abſque horrendis illis & ſæuis carnificinę ſpectaculis, aut nonniſi in teterrimis quibuſdam atrociſſimisque flagitiis, puta aduerſus Sodomitas, atheos, latrones. Hi enim quum data opera videantur naturam ipſam oppugnare, ea perpetrantes quæ amentes & veſanos decent, digni ſunt etiam qui exquiſitis & acerbioribus pœnis plectantur [q]. Sed iam ex diuerticulo in viam redeamus. Dixerit hîc fortaſſe aliquis Senatuſconſultum eſſe debuiſſe, vt Tillius viuus cremaretur [r], legem enim vbicunque hoc ſupplicium iubet, viui cremationem velle intelligi [s]. Præterea, defuncto reo, ceſſare omnem ſceleris vindictã, neque locum amplius habere poſſe [b]. Vt multi ſcripſerint, Iudices vehementer errare, & rem ſe indignam facere, qui interfectorum cadauera in furcas tolli iubent [c]. Ad hanc difficultatem ſoluendam, illud in primis aſſentior, eius quẽ Deus morte ſublatum ad ſuum tribunal citauit, corpus poſtea vexare & indignè in illud ſæuire, barba-

q l. capitalium, §. famoſos, ff. de pœ.

r l. ſacrilegij, ff. ad l. Iul. pecul.

s l. vniuerſi, C. vbi cauſa fiſcal. l. ſi quis Barbaris, C. de re mil. li. 12. d. l. ſacrilegij.

b l. defuncto, ff. de pub. iud. l. fi. ff. ad l. Iul. maieſt. l. 1. l. 2. l. fin. C. ſi reus vel accu. mor.

c Pet. de Bel. l. 2. c. qui teſt. fac. poſſ. Ang. l. fin. C. ſi reus vel accuſ.

ram quandam & inhumanam feritatem reſipere *d*. Vnde magni illius Achillis nomini macula hodieque manet inuſta, qui vt mortem Patrocli, amici chariſſimi, vlciſceretur, non ſatis habuit ſi Hectorem (à quo ille in certamine peremptus fuerat) interficeret, ſed cadauer ad currum religatum circa Patrocli buſtum ter circumuexit *e*, & vt ait Poeta,

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros f.

Verùm flagitiorum interdum ea eſt grauitas & atrocitas, vt ad ea deteſtanda, exempli publici, & Reip. amplitudinis interſit, cæſorum corpora vel cremari vel diſcerpi & dilaniari, vt perditorum hominum infauſta memoria prorſus deleatur *g*, & qui tantum nefas animo concipere aut deſignare auderent, talium ſuppliciorum ſpectaculo arceantur *h*. Sic monet Accurſius, vt quum latrones & obſeſſores viarum debitas pœnas dederunt, eorum cadauera beluis dilanianda obiiciantur *i*. Et quoniam criminum genera quæ pro ſui magnitudine tali fœditate digna ſunt, recenſere non eſt facile, id Iudicis arbitrio relinquendum eſt *k*. Qui ſi expedire iudicabit, vt in mortui corpus exempla etiam edantur, iure poterit facere *l*: maximè id quidem in Gallia, vbi Iudices de criminibus non niſi extraordinariè cognoſcunt *m*. Quæ quum ita ſint, non eſt quòd cuiquam tam à ratione videatur alienum, homini iam interfecto pœnam irrogari *n*. Quò illud etiam pertinet, quod Legibus interdum edicitur, in deteſtationē nefandi concubitus & beluinæ So-

d c. quorundam, 23. diſt. c. 1. 24. q. 1.

e Homer. Il. lib. 22 & 24. Cic. 1. Tuſc. quæſt.

f Aeneid. lib. 1.

g §. interdū. & ibi Accur. de hæred. quæ ab inteſt. defer.

h l. 1. C. ad l. Iul. repetūd. c. quapropter, 2. q. 7.

i Accurſ. in l. 2. ff. arbor. fur. cæſar.

k l. 1. §. 1. ff. de effractor.

l Bal. Iaſ. & Dec. in l. 2. C. qui teſta. fac. poſſ.

m l. hodie, ff. de pœn.

n l. 2. ff. de cadauer. punit. Accur. in d. §. interdum.

næ Sodomiæ, vt beſtiæ quoque ſæua morte puniantur [o]. Quin & Canonicæ ſanctiones (quæ tamen in pœnarum genere Iure Ciuili ſunt mitiores) iubent, vt ſi monachus, qui voto paupertatis ſe omnium rerum poſſeſſione abdicauit, poſt mortem reperiatur aliquid ſuum poſſediſſe, eius cadauer è ſepulcro effoſſum in ſterquilinium proiiciatur, vel in latrinam deturbetur [p].

TEXTVS.

Vt bona ipſius Tillij, filiæ quam ex Rolſia, &c. ſuſcepit, edicto poſſidenda tradantur.

ANNOTATIO CXV.

Satis à nobis, opinor, antea demonſtratum eſt [q], hanc puellam (quæ ex duobus liberis à Tillio & Rolſia procreatis, ſola ſupererat) eſſe legitimam, idq; propter ipſius matris errorem & bonam fidem [r]. Neque aliter in iis diceremus, qui à Sacrifico progeniti eſſent, cui mulier nupſerit, quæ eum ad matrimonium contrahendum, putauerit eſſe idoneum [s]. Itaque non eſt dubitandum, huiuſmodi liberos ad omnem ſiue parentum ſiue propinquorum ſucceſſionem, vocari [t], neque in ruſticis modò prædiis, ſed etiam in feudis & aliis nobilibus bonis [u]. Denique huiuſmodi liberi eodem prorſus loco haberi debent, ac ſi ex iuſto & legitimo matrimonio concepti, natique eſſent [x], & abſque omni diſcrimine vtrique ſuccedere, tam ei, nempe qui bona fide im-

o Exo.ca.22. Leuit.20. c. mulier.15.q. 1. c.reos, §.1. 23. q.5.

p c.cũ ad monaſt. §.1. de ſta.monach.

q Annot.11.

r c.2. c.referẽte, c. ex tenore, qui fil. ſint leg. gl. c. 1. de eo qui dux. & c. cũ inhibitio c. fin. de clãd. deſpon. Bar. in l. Paulus, ff. de ſtat. hom.

s Bal. in l. qui contra, C. de inceſt. nup.

t d.c. ex tenore, gl. in c. in captiuitate, 34. q.1.

u Bal. in c.1. §. naturales. Si de feu. fuer. contro. inter do. & agn.

x l. qui in prouincia, §.1. ff. de ri. nup.

prudens, contraxerat matrimonium, quàm ei qui ſciens fefellerat, & amborum iuxta propinquis ac conſanguineis *y*. Et quanquàm non defuerunt qui nimia leuitate exiſtimauerint, tales legitimos eſſe duntaxat, quod ad eum attinet qui bona fide matrimonium iniit *z*, tamen hæc opinio grauibus rationibus iampridem exploſa eſt: quòd ridiculum fuerit, vnum eundemque, partim legitimum, partim ſpurium intelligi *a*. Nam ſi obiiciatur, inter Tillium & Rolſiam nunquam interceſſiſſe verum coniugium, quod vbi deeſt, ne liberos quidem legitimos eſſe poſſe *b*: facilè reſponderi poteſt, coniugij ſpeciem & opinionem non minus valere, ad hoc quidem vt liberi habeantur legitimi, quàm iuſtum, & omnibus numeris conſtans coniugium *c*. Quo modo ſanè dicimus, veram fundi aut alterius rei poſſeſſioné rectè atque ordine fieri, quanuis exhibitio ipſa rei & acquirendi ratio, vera minimè ſit *d*, ſed fictè & animo tantùm concepta. Quòd ſi porro obiiciatur, huic filiæ, quantumuis legitimæ, bona tamen patris tribuenda non fuiſſe: eius enim bona, vtpote capite damnati, ad fiſcum redire *e*, maximè Galliæ Legibus, quibus cauetur, vt qui hominem publicat, bona etiam publicet *f*, quemadmodum Gallicè loquimur: reſpondeo, Iudicé, licet id facere ex legibus poſſit, non tamen obſtrictum ad hanc rem teneri *g*. Poteſt enim talis quæpiam ex ipſo facto oriri circunſtantia, qua Iudex permoueatur, vt meritò à confiſcatione bonorum abſtinẽdum ſibi cenſeat, vel in totum vel

y Bal. & Salic. in d. l. qui contra.
z l. 3. C. ſol. mat. Accur. in d. l. qui cõtra.
a l. duob. ff. de lib. cauſ.
b l. filium, ff. de iis qui ſunt ſui.
c Ant. But. in c. 2. & c. quod nobis, & c. penul. qui fil. ſint leg.
d l. certè. §. 1. ff. de precar. Bar. in l. ab emptione, ff. de pac. & in d. l. certè.
e l. eius qui, §. fi. ff. de teſta. l. 1. ff de bon. dãnat.
f Bened. in c. Rayn. Ver. et vxorẽ, nu. 836. Chaſſan. in tit. de confiſc.
g l. nõ quicquid, ff. de iud. l. 1. C. quom. & quan. iud.

ex parte, præſertim ſi extant liberi *h*. In Gallia *h l.fi.& authent. bona,*
quidem hoc nominatim à Iudice declarari oportet. *C.de bo.proſcrip.§.fi. vt*
Alioqui liberorum fauor non impediret, *nulli iu.col-*
quo minus hominis mortem bonorum etiam *lat.9.*
publicatio conſequeretur *i*. *i Bened.loco ſup.citato.*

TEXTVS.

Connubij prætextu.

ANNOTATIO XCVI.

Omnino prætextus connubij fuit. Nam legitimum matrimonium, viuo quidem Martino Guerra, nullum eſſe potuit *k*: idque multis rationibus doceri poteſt, quarum duæ ſunt potiſſimę. *k c. cum in captiuitate, 34.q.1.* Prima, quòd vna duobus nubere non poteſt *l*, imò nec veriſimile eſt eam duos optare *m*: licet *l §.affinitatis, de nup.* apud Medos ita inſtituantur, vt putent nihil maiori fœlicitati, aut gloriæ cótingere poſſe, quàm *m l.ſi mulier, la 2.ff.de iur.dot.* vt vna plurium virorum vxor ſit: atque adeo pauciores quàm quinq; habere, ignominiæ ac prope ſummæ miſeriæ loco eſſe ducunt *n*. *n Strabo Geogr.lib.11.* Altera ratio eſt, quòd etiamſi matrimonium eſſe ponatur, error tamen fuit in perſona, qui error voluntatem ac proindę matrimonium ipſum *o* impedit, *o c.1.29. q.1.* vt quod ex voluntate & conſenſu contrahentium originem ſuam accipiat *p*. *p l.nuptias, ff. de reg.iu. c.ſufficiat, 27.q.2.* Hic mihi quiſpiam obiiciet inter Iacobum & Leam fuiſſe matrimonium, licet Iacobus cum Rachele rem habere ſe putaret, cuius cauſa ſeptem annos Labani ſeruierat: qui veſperi nuptiarum die Leam maio-

rem natu pro Rachele minore ſubmiſſam ei tradiderat q. Verùm ad illa reſpoſio plana eſt, Iacobum, quamuis initio in Leam non conſenſiſſet, eam tamen poſtea coniugem agnouit, ratam habens ſuppoſitionem. Quod ad iuſti matrimonij naturam ſatis eſt r.

q *Gen.* 27.

r *c. nec illud, §. fi. 30. q. 5. & d. 1. c.*

TEXTVS.

Porro Martinũ Curia, foro & lite eximit.

ANNOTATIO XCVII.

Maximæ in hac cauſa difficultates, & in quibus explicandis Patres Toloſani valde laborauere, fuerunt de Martino & vxore, annon etiam damnari vtrunque æquum eſſet. Nam Martinus quidem omnino inexcuſabilis multas ob cauſas videbatur. Primò, quòd tam temere parentes, vxorem & familiã reliquerat s. Deinde quod amplius duodecim annos ab vxore abfuerat, ſicque domeſticarum turbarum autor fuerat t, vt iam à nobis oſtenſum eſt u. Vnde ſequitur vulgata deciſio iuris, qui maleficij occaſionẽ præbuit, eum ſe culpa affinẽ reddere x. Præterea quòd quãdiu abfuit, tranſiit ad hoſtes, illis aduerſus Regem & Patriam militauit, vt hac quidem ratione maieſtatis reus videatur y. Patres tamen eum omni forenſi moleſtia liberarunt, quòd intellexerunt, quæ ab eo facta ſunt, non ab vlla praua voluntate profecta eſſe, ſed iuuenili quadam leuitate & æſtu, quo tunc ferueſcebat. Eſt enim huius ætatis

s 1. *Timoth. cap.* 5.

t *c. ſi tu abſtines,* 27. *q.* 2.

u *Annot.* 2.

x *l. qui occidit, §. penul. ff. ad l. Aquil. l.* 1. *§. fi. C. de aſſert. tollen.*

y *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *ff. ad l. Iul. maieſt.*

tis proprium vitium, inquit Seneca [z], vt impetus animi & vehementes perturbationes, quibus continenter ad mala pronis ſcatet [a] nequeat moderari & domare. Ac quemadmodum ſenectutis propria virtus eſt prudentia, ita temeritas, leuitas & inconſtantia ferè in iuuenes cadit [b], qui regionis ſubinde mutandæ cupida eſt, vt res nouas ſemper expetat, preſentes & charas faſtidiat. Itaque rectè Horatius [c],

Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis canibúſque et aprici gramine campi,
Cæreus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúſque et amata relinquere pernix.

Quod autem obiici poſſe videtur, occaſionẽ Roſſiæ ab eo præbitam fuiſſe, cur alterum pro marito admitteret, vt quæ in ea re culpa eſt admiſſa, ei tribuenda videatur [d], præter ea, quę prolixè in eam ſententiam diximus [e], ſic habendum eſt, occaſionum quæ ad malè faciendum dantur, duo eſſe genera. Alia enim proxima eſt ipſi facto, quam vulgò immediatam appellant: alia remota & ſeiuncta. Quod ad illam attinet, facilè aſſentimur, qui talem præbuiſſe comperitur, eum mereri, vt culpa in eum conferatur, vt exprobrare meritò non poſſit ei, qui crimen ipſe commiſit [f]. Veluti (vt in hac facti noſtri ſpecie, ſi quis vxorem impelleret & operá conferret, quò ea alius abutatur [g]. At quum occaſio longè eſt

z *In tragæd. Troade.*
a c. 1. 12. q. 1.
b *Cic. De ſeneƈt.* c. 1. 12. q. 1.
c *De arte poet.*
d *d. c. ſi tu abſtines.*
e *Annot. 2.*
f *l. qui occidit, § 1. l. 1. §. 1. ſin. ſuprà cit.*
g *l. cum mulier, ff. ſol. mat. l. 2. §. ſi public. o, l. vxor, § 1. ff. de adul. c. diſcretione, de eo qui cogn. conſ. vxo.*

remota & ſeparata ab ipſo crimine, qui talem attuliſſe poteſt, is tamen à culpa omnino abeſt *h*. Verbi gratia (libet enim à noſtra quæſtione non diſcedere) ſi quando vir domo diutius quàm æquum ſit, abeſt, vxor incontinentiæ & libidinis impatiens ſe aliis proſtitueret, non efficit vt ille vel adulterij *i* vel lenocinij crimen ſubeat, neque idcirco excuſatur mulier. Hoc quidem̄ extra con trouerſiam eſt, virum apud Deum culpa non vacare *k*, qui tam leui de cauſa ab ea diſceſſit, ob quam iuſſus eſt diuinitus, parentes, fratres, ſorores & quicquid dici poteſt, relinquere *l*. Quod porrò tertio loco obiicitur, ſic diluimus. Cum in omni crimine conſilium peccantis eſt animaduertendum *m*, tum verò maximè quum quis maieſtatis poſtulatur. Illic ſumma prudentia circun ſtantias omnes, & ipſam adeo perſonæ qualitaté attendere conuenit: num eo fuerit animo, vt aliquid in Principem machinaretur *n*, an verò potius leuitate quadam & incogitantia id totum ſuſceptum fuerit. Vbi enim hanc fuiſſe transfugiendi cauſam apparet, Leges noſtræ non facilè pœnas huiuſmodi peccatis irrogant: propterea quod licet amentes iſti & ſtulti non indigni ſint, in quos animaduertatur, vult tamē Modeſtinus eis tanquam parum ſanis, parci *o*. Neque profecto crimé maieſtatis ei rectè exprobari videtur, cuius mens non fuit vt in Principem vel Remp. conſpiraret *p*: vt ita neque Martino iſti. Is enim quum vix ex ephebis exceſſiſſet, in Hiſpaniam profectus in familiam Cardinalis Burgenſis, deinde

h l. qui domū, ff. locat. c. de cætero, c. exhibita, de homic. & gl. vtrobiq;.
i l. palā, §. 1. ff. de rit. nu. c. Agathoſa, 27. q. 1.
k c. ſi tu abſtines, 27. q. 2.
l Gen. cap. 2. Matth. 19. Mar. 10. Epheſ. 6.
m l. Verū, ff. de fur. l. diuus, ff. de ſic.
n l. poſtliminiū, § transfuga, ff. de capti. l. 1. ff. ad l. Iul. maieſt.
o l. famoſi, ff. ad l. Iul. maieſt.
p Extrauagāte, ad reprimēdum, ibi, hoſtili animo, l. 1. ibi, dolo malo, ff. ad l. Iul. maieſt. l. poſtliminium, §. transfuga, ff. de capti.

inde fratris eius aſcitus, vtrique à pedibus fuit: deinde ab illis in Flandriam abductus, anno 1555; ad Sanquintinum, Hiſpano aduerſus regem militauit, magis id adeo vt hero (cui neceſſitate coactus parebat, & è cuius manibus elabi non poterat) obſequeretur, quàm vt quicquam aduerſus Principem moliretur. Vt taceam interim; quòd ipſa hominis leuitas magno ei conſtitit: quem fortuna inconſtans multis affecit calamitatibus & ærumnis, tum in vnius pedis mutilatione, tum in bonorum iactura (quæ magna ex parte ſycophanta iſte abligurierat) tum denique in mœſtiſſimo turbarum domeſticarum ſpectaculo, quod ei, domum reuerſo, ſtatim obiectum eſt. Quibus omnibus malis ſi quid pœnæ aut etiam moleſtiæ additum fuiſſet, id verò crudelitatis cuiuſdam potius, quàm integritatis in iure dicendo ſpeciem habiturum videbatur.

TEXTVS.

Bertrandam Rolſiam.

ANNOTATIO XCVIII.

In vxoris cauſa, ex pluribus cauſis, maior extabat difficultas. Primum; quòd nimia facilitate Tillium iſtum veteratoré, pro marito per ſummam imprudentiam admiſerat *q*, atque vnà cum eo conuictum & conſuetudinem familiarem, huius erroris prætextu (quem ipſa fouere videbatur *r*) habuerat. Accedit quòd tanto temporis

q l.1.§.1.ff.de eo per quem fa. er.c. ſi quid. 86. diſt.

r c.error.83. diſt.

ſpatio crebros rumuſculos ſpargi audiebat, imò nonnulli eam ſubinde præſtringebant, atque adeo diſertè affirmabant, falsò iſtum creditum eſſe Martinum Guerram. Quorum verbis tantum aberat vt fidem haberet, aut certè (quod ſaltem debuit) moueretur, & in ſuſpicionem quandam veniret, vt contra acriter illis contradiceret: qua in re profectò culpam ſuam prodebat. Quemadmodum enim tantiſper bonæ fidei poſſeſſor quiſpiam dicitur, vel donec comperit vel ſuſpicatur, rem alterius fuiſſe, quàm eius à quo accepit *s*: ita quæ cum alio rem habet, excuſationem meretur, quandiu ignara eſt erroris, & à marito ea fieri credit. Quapropter ſimulatque rem aliter habere cognouit, aut certè ei in dubium venire potuit, ſi pergit cum eo verſari, nihil habet prorſus quod excuſet *t*, quum ſtatim fraudis vel tenuiſſima ſuſpicione orta, diſcedere ab eo debuerit *u*. Præterea Lotus ille (placet enim exemplum, à noſtro non longè diſſimile) liberalius potus, ambas filias fecit grauidas, quæ ſe furtiuo concubitu in eius lectum inſinuauerant, quum quidem ille vxorem apud ſe iacere arbitraretur *x*. Auguſtinus tamen licet ab inceſtu eum abſoluit, tamen eo nomine damnat, quòd ſe vino ſuperari permiſiſſet *y*. Poſtremò & illud accedit, etiamſi Rolſiam omni doli ſuſpicione, non tantùm culpa liberare placeat, tamen eſſe hoc factum adeo prodigioſum & nefarium, & adulterium tam pernicioſi exempli, vt ne ipſa quidem impune ferre debere videatur *z*.

Quod

s l. bonæ fidei, ff. de acq. re. do. l. fin. C. Vnde vi.

t c. ſi virgo, 24. q. 1.

u l. qui contra, in fin. C. de inceſt. nup.

x Gen. c. 19.

y Auguſt. li. 1. cōt. Fauſt. c. inebriauerunt, 15. q. 1.

z l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pæn.

Quod profecto in noſtro iure nouum non eſt, vt qui culpa etiam vacat, ſupplicium non effugiat; quum grauis quædam cauſa & ratio publica id poſtulat[a]. Cuius rei exemplum in promptu eſt de Paſtore aut Rectore Eccleſiæ, qui ſi in elephantiaſim inciderit, Eccleſiæ & ſacerdotij adminiſtratione mouetur[b]. Item ſi quis vel virginem vxorem duxerit, quæ poſtea adultero ſui copiam faciat, is adeo in culpa non eſt, vt etiam crimine vehementer offenſus ſit: eum tamen vxoris adulterium ab ordinibus ſacris ſuſcipiendis & Eccleſiæ adminiſtratione obeunda, arcet[c]. At e diuerſo, ad excuſandam Rolſiam hęc veniunt conſideranda: ſexus fragilitas, qui facilè virorum inſidiis, dolis & deceptioni obnoxius eſt[d]: quemque lex non præſumit eo conſilio fuiſſe, vt dolo malo agere velit[e]. Deinde rei obſcuritas, ob quam procliue fuit in errorem labi, ex tanta Martini & Tillij ſimilitudine, præſertim additis tot indiciis & occultiſſimarum quarumq; rerum documentis, quæ adulterinus maritus ipſi vxori, ſororibus & patruo Martini protulerat, imò omnibus Artigati ciuibus: qui eum pro vero Guerra agnouerant. Hoc ſanè non minus ad excuſandam Rolſiam valet, quàm ille filiarum dolus in Loti cauſa, quod iam exemplum citauimus: vel ignoratio Abimelechi Geratenſium Regis: qui quũ Saram ad ſe iuſſiſſet adduci, iamq; ea abuti cogitaret, quòd eam Abrahami eſſe ſororem, vt ille affirmauerat, putaret, tamen inſons à Deo ipſo iudicatur vt nullam pœnam

a c. ſine culpa, de reg. iur. in 6.

b c. tua, de cleric. ægrot.

c c. ſi cuius, c. ſi quis vidua, 34. diſt.

d l. ſi adulterũ, §. 1. ff. de adulter. § quæſitum, de æquab. dot. in nouell. coll. 7.

e l. quiſquis, §. ad filias, C. ad l. Iul. maieſt.

ſubeat, quia totum iſtud ex ſimplicitate cordis (vt loquitur Scriptura) & puritate manuum fecerit *f*. Pari in cauſa Pontifices virum crimine abſoluunt, qui cum vxoris ſorore concumbit, ſi quidem illa lectũ ingreſſa, & vxor ipſa eſſe ei viſa ſit *g*. Itidem ſi qua viro nubit, quem putet eſſe cœlibem, quum aliam vxorem habeat, nulla in ea culpa fuerit *h*. Neque Iacobo ſanè vitio datum fuit, quòd cum Lea maiore natu rem habuerit, qui deceptus Rachelem ſponſam apud ſe habere exiſtimauerit *i*. Præterea error, cuius etiam origo fundamento nullo nitatur, errantem tamen abſoluit, efficitque vt omni fraudis & mali conſilij expers iudicetur *k*, etiamſi cauſa erroris iniqua, mala, imò inepta, ſtulta & temeraria extiterit *l*. Proinde ſi Rolſia nihil malo animo fecit, hinc neceſſariò concluditur, adulterium ab ea cõmiſſum non fuiſſe, quod ſine ſcortandi conſilio cõmitti profectò non poteſt *m*. Quartò in criminalibus cauſis hoc tritum eſt, vt qui alterũ pro altero hallucinatus capit, quum in animo non habeat quenquam lædere, is excuſationem mereatur *n*. Verbi gratia, ſi quum ſeruum meum emendare cogito (quod vtique fas eſt) *o* incido in hominem liberum, quem cædo, non propterea de iniuria illata conueniri poſſum *p*. Hîc porro nominatim excepi, modò ille animum quenquã lædendi minimè habuerit: nam alioqui error ad purgationem nihil poteſt iuuare. Etenim ſi Antonium interficere intendo, ſed Petrum, deceptus errore, interficio, non ideo homicidij poſ-

f Gen. c. 20.
c. nemo, 32. q. 4.
g c. in lectũ, 34. q. 1. c. 1. §. quod autẽ, 29. q. 1.
h c. ſi Virgo, 24. q. 1.
i Gen. c. 29.
k l. igitur, §. fin. ff. de lib. cauſ.
l l. 1. in fi. & ibi Accur. C. de abige. Accurſ. in l. plagij, C. de plagiar.
m l. penul. ff. de adul.
n l. 3. §. fi. & l. ſeq. ff. de iniur.
o l. Vnica, C. de emend. ſeruor.
p d. l. 3. §. fin.

ſum inſons haberi *q*. Nam tametſi Antonio propriè nocere ſtatueram, in genere tamen hominẽ interimere decreueram *r*. Quintò, quicquid hac in re culpæ & peccati fuit, non tam Rolſiæ quàm Martino ipſi tribuendum videtur, qui tamdiu domo abfuit *s*: quod antea ex D. Auguſtino docuimus *t*. Poſtremò, Conſtantinus Imperator in ſimili cauſa videtur hanc noſtram controuerſiam diſceptaſſe. Quum enim ad eum de muliere fuiſſet relatum, quæ quum quadriennij tempore nihil de marito accepiſſet, qui militatum abierat, Centurionem, ſub quo ſtipendia fecerat, de eius morte per nuncium percontata, publicè poſtea nubit: reſpondit eam & pœnæ omni eximẽdam & ſuſpicione liberandam eſſe *u*. Quamobrem vt paucis argumenta omnia contraria diluamus, id conſiderandum eſt, Rolſiam, vbi ſemel tum apud ſe, tum vnà cum ſororibus & propinquis Martini perſuaſa fuerat *y*, Tillium & propter formæ ſimilitudinem & propter indiciorum multitudinem maritũ ſuum eſſe, non debuiſſe poſtea fidem iis habere qui rem contra habere affirmabant, præſertim ad quos res nihil attinebat *z*: maximè autem quum graue periculum, ſi hoc faceret, ſubitura videretur, ignominiamque turpiſſimam ſibi conflatura, turpiorẽ inſuper comparatura, ſi tota hæc denunciatio falſa & calumnioſa reperiretur *a*. Quæ ratio ſanè conſideratu digniſſima eſt, cuius cauſa Papinianus mulierem abſoluit, quæ vi compreſſa, marito ſcelus non ſtatim præ pudore indicauit *b*: quin & Impe-

q l.ſcientiã, §. ſi. ff. ad l. Aquil.

r l.eum qui nocentem, §. ſi iniuria, ff. de iniur.

s c.ſi tu abſtines, 27. q. 2.

t Lib. De adulter. coniug.

u l.vxor. C. de repud.

y c. in cunctis, 11. q. 3.

z l.tutor, ff. de minor. l. 2. ff. quod falſ. tut. l. 2. C. deb. vẽd. pig.

a l. vim paſſam, de adult.

b d. l. vim paſſam.

c l. fœdiſſimam, C. de adulter. — d l. 1. §. 1. ff. de eo per quem fac. er. c ſi quid, 86. diſt.

rator famam caſtæ matronæ ſartam tectam ei ſeruari iubet [c]. His ad alia etiam reſponſum eſt, quibus reprehendebatur Rolſia, quòd nimia facilitate iſtum eſſe Martinum crediderit [d]. Neque enim leuitatis crimen ei poteſt obiici, quæ octo annos, dum maritus abfuit, ſe continuit, ſigna quæ Tillius proferebat, agnouit, ſorores, & patruum Martini, rem comprobantes ſecuta eſt, Artigatenſes ciues vniuerſos qui eum eſſe crediderunt aſſentientes habuit, denique maritũ tot annis ſeiunctum recuperare optauit. Adde quòd (vt ait D. Ambroſius) vir probus facilè credit [e]: quæ facilitas ex laudabili quadam ſimplicitate & integritate proficiſcitur [f]. Itaque non ſatis cauſæ fuit cur multaretur, quæ culpa vacabat [g], nec rẽ mali exempli fecerat, aut offendiculum dederat, ſi quis errorem conſideret, & cauſas quibus adducta errauerit. Argumentum ex hiſtoria Loti nihil huc facit [h]. Is enim nunquam reprehenſus eſt quòd rem cum filiabus habuerit, quum vxorem eſſe exiſtimaret: ſed temulẽtia illi obiicitur, quæ puellis audaciam iniecit, vt ad patrem accederent, & cum eo concumberent [i].

e Lib. 2. De offic. — f c. innocẽs. 22. q. 4. — g c. ſine culpa, de reg. iur. in 6. — h Gen. c. 19. — i c. inebriauerunt, 15. q. 1.

TEXTVS.

Et Petrum Martini patruum.

ANNOTATIO XCIX.

Hoc verò æquiſſimum fuit ſic fieri. Tantum enim aberat vt Petrus vlla pœna dignus videretur,

tur, vt potius merces ampliſſima ei deberetur, & laudandus duplici nomine eſſet, ob egregium factum virtutis & pietatis plenum, qui magnos ſumptus facere, & magnum ſalutis periculum adire non dubitauerat, vt fraudẽ tam prodigioſam illuſtraret & hominum oculis exponeret.

TEXTVS.

Tillium denique reum ad Prætorem Regienſem remittit, cui executionem rei iudicatæ, qua forma & verborum ordine præſcripta eſt, mandat ac committit.

ANNOTATIO C.

Huius rei perficiendæ cura Prætori Regienſi meritò committenda erat, qui nihil diligentiæ reliquum fecerat, vt omni æqua ratione rei veritatem perquireret. Quinetiam ſupremarum Curiarum amplitudinis magni intereſt, autoritatẽ inferiorum Iudicum ſartam tectam ſeruari [k], efficiq; vt eorum exemplo, ad publicam vtilitatem, omnes omnium graduum Magiſtratus apud totum populum autoritate & obſeruantia valeant. Quod noſtræ quoque leges multis locis præcipiunt [l].

k l. omnem, C. quan. prouoc. non eſt neceſſe, c. vt debitus, de appell.

l l. 1. §. caſum, ff. de poſtu. l. obſeruandum, ff. de offi. præſ.

FINIS.

SENTENTIA, (VVLGO ARRESTVM VOCANT,) CONTRA Arnoldum Tilhium in ſupradicta controuerſia per Parlamentum Toloſanum lata: ex libro Collectionum Arreſtorum Dn. Ioannis Paponis XXII deſumptum, & è Gallico Latinum factum.

Referente Dn. Coraſio, Conſiliario Regis in Parlamento Tholoſano, Arreſtum pronunciatum fuit XII *Septembris anno* M. D. LX. *ſuper re & cauſa, cuius cùm prolixa eſt narratio, tum verò facinus nouum atq; inauditum.* Narratio cauſæ. *In Diœceſi Riegia, & agro Artigatenſi Gaſconiæ, iuuenis quidã Martinus Guerra & Bertranda Rolſia matrimonio copulati, nouem circiterue decem annos vnà viuunt, donec præfatus Martinus propter frumenti aliquid ex granario paterno ſurrepti, iram patris fugiens, ſolo natali, vxore, filioq; Sanxio relictis, peregrè proficiſcitur. Abeſt octo annos, ſub Rege in poſtremis bellis ciuilibus ſtipendia merens, ibique ſocio, vti veriſimile, vſus eſt milite quodam Sagiaſenſi, Arnoldo Tilhio, aliàs Panſetto. Qui, elapſo octennio, prædictam Bertrandam, Martiniq; prædicti ſorores, affines, auunculos atque cognatos,*

tos, Artigati accedit, ſimulatq́ ſe Martinum Guerram eſſe. Credibile certè eſt hunc Arnoldum Martini commilitonem, quum ei pedem alterum ictu tormētario in prælio ſublatum vidiſſet, mortuum exiſtimaſſe, hincq́ profectum de vxore & bonis eius occupandis conſilia adornaſſe. Magna in lineamentis faciei & reliquo corpore ſimilitudinis indicia, & ſermones particulares infiniti, quibus inſtitutum ſuum confirmat, dum rerum quæ huc tendebant, omnium ſigna proponit, ſimulq́ memoriam renouat, effecerunt vt pro tali agnoſceretur, atq; ab omnibus reciperetur, præſertim verò ab vxore Martini. Qua per hanc impoſturam non modo triennium integrum abutitur, ſed falſa coitione ſuſcipit ex ea binos liberos, quorum alter moritur, alter verò filia, ſuperſtes manet. Accidit autem vt inter Petrum Guerram, Martini auunculum, & pſeudomaritum hunc Arnoldum controuerſiæ & lites quædam leues de bonis Martini ortæ ſint, in quibus paulatim adeò grauiter incandeſcunt, vt tandem capitali odio inuicem pugnarent & diſsiderent. Petrus Guerra diligentia ſua fallaciam detegit, perſuadetq́ nepti ſuæ Bertrandæ, vt hoc negocium ſeriò ca-

peſcat & perſequatur : quæ ſe deceptam præſentiens, & errorem ſuum agnoſcens, querelam contra Arnoldum Tillium coram Iudice inſtituit: qui, facta inquiſitione, in cuſtodiam traditur, & iudiciario more tota cauſa diſceptatur. Sed, niſi ipſius Martini Guerræ reditus iudices difficultatibus quibus detinebãtur liberaſſet, etiamnunc incerto calculo hærerẽt. Reus ſiquidem tum à Iudice Riẽgio, tum à Parlamenti Tholoſani Magiſtratibus interrogatus atq; auditus, de nomine, ætate, conditione, patria, parentibus, fratribus, ſororibus, aliiſq; conſanguineis Martini Guerræ, de educatione in adoleſcentia: item de anno, menſe, die, ſolennitate, conuentuq; nuptiarum prædictæ Bertrandæ, deq; eiuſdem parentib. & cognatis, de modo quo contractũ fuit matrimoniũ, de perſonis quæ intererant, de veſtibus nuptialibus, de Sacerdote qui eos copulauerat, de ſingularib. quibuſdam rebus ante & poſt matrimoniũ geſtis, de perſonis quæ media nocte decumbentib. ſuperuenerint, de puero Sanxio Guerra, quo is die natus fuerit, de peregrinationis ſuæ occaſione, de itinere quâ tranſiit, de viatoribus obuiam ſibi factis, de ſermonibus quos in hac peregrinatione ſua cum pleriſq; locorũ incolis habuit,

buit, & præcipuè iis quorũ in Hiſpania Galliaq́ꝫ conſuetudine vſus eſt. His omnibus interrogationibus tam appoſitè reſpõdet, vt omnes eum Martinum Guerram, non alium, eſſe concluderent. Seorſim verò prædicta Bertranda à Iudicibus examinatur, quæ in omnib. cõgruit, & ſimilia loquitur cum reo: niſi quòd hoc ſolùm addit, primis nouẽ matrimonij ſui annis, impeditos ſe coniuges fuiſſe quominus iuſto coitu fruerentur, eiuſq́ꝫ rei culpam maleficæ faſcinationi imputaſſe, ſub extremũ autem nouennium marito ſuo ſibiq́ꝫ cõſilium datum rei peragendæ, quæ multis conſtabat ceremoniis, quas ipſa ſigillatim enumerat: qua perfecta, ambos faſcino ſolutos fuiſſe, ſeq́ꝫ Bertrandam continuò poſt, prædictũ puerum Sanxium Guerram cõcepiſſe. Itaq́ꝫ reprehenſus reus quòd nullã horũ mentionem feciſſet, tánta conuenientia ad omnia particularia reſpondet, vt Iudices nõ potuerint non adduci, quin crederent hunc eſſe Martinum Guerram. Rurſus prædicta Bertranda de errore ſuo interrogata, profitetur ſe initiò quum reus ad ſe veniſſet, victam aut deceptam non fuiſſe vehementi deſiderio intelligendi de ſtatu mariti, eiuſq́ꝫ præſentia fruendi, ſed ipſum peculiariter infinitos ſermones fa-

miliares, actaq́; arcana quæ inter coniuges ferè contingere ſolent, indicaſſe, quæ ipſa agnouiſſet vera, ex memoria fideli quam illi reus narratione ſua refricabat, quando adeo conſtāter de iis loquebatur, vt etiā dies, horas, et loca, omniaq́; verorum ſignorum genera certò deſignaret: quare ſe ſolùm conuictam, non fragilitate aut leuitate lapſam fuiſſe. Enimuerò nonnulla ex diuturna abſentia orta, perſonarū diuerſitas prima fronte occurrebat, quum eo tempore quo maritus eam dereliquit, imberbis adhuc & valdè iuuenis, nunc autē circiter triceſimumquintū annum agens barbatus eſſet: ſed hæc coniectura ad perſuadendum leuis fuiſſet, niſi ſermones & acta, quæ nemini præterquam marito ſibiq́; audita, viſa, cognitáue eſſe poterant, quæ Reus ipſi omnia in memoriā reducebat, omnem dubitandi occaſionē ſuſtuliſſent, & ad credendum impuliſſent. Reus ſigillatim de prædictis articulis per Iudices deſignatos cautè interrogatus, eo cōſilio, vt, ſi fieri poſſet, ad varietatem & diſcrepantiam adduceretur, atq́; ita veritas pateficeret, eo modo ſatisfacit, vt omnes iam certò perſuaſum haberent, eum eſſe Martinum Guerram: accuſationemq́; per calumniam contra ipſum malitiosè

inſti-

inſtitutam. Tunc Bertranda ſequeſtro tradita, teſtes recolliguntur, & coram Reo ſiſtũtur, tandemq́ ex officio audiuntur centũ quinquaginta in iuſtificationis & exceptionis ius ab ipſo Reo nominati: Contra Reum autem quadragintaquinq́ teſtes affirmant illũ Arnoldũ Tilhium, non Martinum Guerram eſſe. Ex his vnus, Carbonus Barranus, prædicti Arnoldi auunculus, quum Reum ſellula vitæ ſedentẽ & compedibus vinctũ conſpicatus eſſet, illachrymatur, & agniti nepotis miſeram vicem condolet. Alij in corporis ſtatura, membris, moribus, ſcientia, lingua deniq́, quæ ſit inter Martinum Guerram & Reum differentia, docent. Alij, quib. ſemetipſum Reus prodidit, eum falſitatis ac mendacij coarguunt. Duo teſtantur de milite quodam Rupefortẽſi, qui non ita dudum per Artigatum iter faciens, Reumq́ admiratus nomen & locum Martini Guerræ obtinere, palàm dixerit, impoſtorem eum eſſe, ac Martinum Guerram in Flandria viuere, altero pede ligneo prædità, quòd in prœlio ad diem S. Laurentij commiſſò ante Sanquintinum ictu ſphæræ tormentariæ læſus eſſet. Contrà ex CL. *teſtib. pro Martino Guerra auditis, triginta aut quadraginta affirmabant reum eſſe*

Martinum Guerram: quorum ſex erant omni fide digni: nempe quatuor prædicti Martini ſorores, & duo affines, qui id magnis & firmiſsimis argumentis demonſtrabant. Multi alij cognati & vicini, qui & nuptiis Martini interfuerāt, eumq; dum educaretur adhuc infans, itemq; poſtea, & vſq; ad diſceſſum eius familiariter cognouerant, indicia certiſsima ſignaq; irrefragabilia, ac cum reſponſis Rei conſentientia ſimul omnes afferebant. Affirmant ferè cuncti, Reum nuper quum rediiſſet, Artigatenſem quemq; obuium nomine et cognomine ſalutaſſe: atq; etiam in eo agnoſcendo hæſitantibus quibuſdā, nonnulla anteacta in memoriam reuocaſſe, quæ propriè ad eos pertinebant quibuſcū loquebatur: vt quum diceret, Meminiſtine quum eſſemus tali loco, tali die, ibiq; talia inter nos colloqueremur, taliaq; ageremus, indeq; talia ſunt conſecuta? Cæterum eſt hic notatu dignū, quòd in colloquiis infinitis, actiſq; priuatis & occultis, inter Martinū Guerram & eius vxorē recens coniugatos, ne tantillum quidem diuerſi vnquā dixerit, vel à prædictæ Bertrandæ verbis deflexerit: veſtes deniq; quas Martinus Guerra diſcedēs domi reliquerat, mox tū loco vbi iam inde ab eius

diſceſſu repoſitæ erant, tum forma earũ iuxta veritatem indicata, petierit. Itaq; de omnibus diligenter examinatus, ex reſponſis conſtantiſſimis iudicatur eſſe Martinus Guerra. Præterea eſt & illud attentè conſiderandũ, quòd iuſiurandum prædictæ Bertrandæ, Reo id poſtulante, delatum eſt huiuſmodi, ſcilicet, annõ ipſa probè ſibi conſcia eſſet, Reum eſſe Martinum Guerram? annon contra conſcientiam, in gratiã Petri Guerræ, litem hanc mouiſſet? eiuſdemq; importuna ſollicitatione ad Tabulas procuratorias conficiendas coacta eſſet? denique Reus mille necari ſuppliciis, ſi aduerſaria iuret, aut ſi iurarit, eius iuramento conuictum ſe damnari magna cum contentione poſcit. Illa verò, propter magnas & graues cauſas ſuprà cõmemoratas, quib. vt eum Martinum Guerrã eſſe crederet, & pro marito agnoſceret, permota fuerat, iurare neq; voluit, neq; auſa fuit vnquam. Alij demũ teſtes, Petri Guerræ coniurationem, atq; capta de occidẽdo prædicto Reo cõſilia exponũt, in cuius facinoris ſocietatẽ atque auxiliũ pleroſq; ipſamq; adeò Bertrandã, ab odij & litis primordiis, attrahere conatus fuerit: quum tamen antea Reum pro Martino Guerra, nepote ſuo publico teſtimonio profeſ-

ſus fuerit atque receperit. Poſtremo, lata eſt capitis ſententia à Iudice Riegio contra Reum: à quo ad Parlamentum Tholoſanum prouocat, & eò deductus, cauſa dubia & difficultatibus plena, quo clarius innoteſceret, Curiæ decreto audiuntur Reus, mulier, Petrus Guerra, ſorores Martini Guerræ, earumq́; mariti, & pleriq; alij teſtes, quorũ teſtimoniis partim cõtra Reũ, partim pro Reo auditis, Iudices multo incertiores quàm antea, probationum, inditiorum & præſumptionum conflictu impediũtur, & ex ipſis non pauci (vt ex ſcriptis D. Coraſij conſtat) ad Reum abſoluendum, tunc hoc maximè proniores erant, quòd conſtantem ſe præberet, de reb. omnib. verè & promptè ſemper reſpondiſſet: necnon ſorores, earumq; mariti & omnes vicini, quibus ab incunabulis Martinus Guerra adprimè notus erat, vno ore affirmarent, Reum illum eundem eſſe. Adde quòd mulier iuramentũ detrectaſſet, & à Petro Guerra ad litem hanc permota & illecta eſſet: deniq; filia ex litigioſa hac cohabitatione procreata, gratiam Reo non mediocrem conciliaret.

Equidem exiſtimo omnes huius hiſtoriæ lectores eam & admiraturos, & quæ ſuprà de

Reo cõmemorata ſunt, iudicaturos, abſq; Magicis artib. ab vllo mortali nequaquam fieri potuiſſe: ſed rurſus prouidentiam Dei agnituros, cuius arcana operatione res tota patefacta, & Iudicibus, quibus oculi præſtigiis Rei perſtricti erant, perplexitas incredibilis exempta eſt. Eius itaq; nutu fit, vt tunc Martinus Guerra cum altero pede ligneo ex Hiſpania reuertatur. Is confeſtim Curiæ ſupplicationem offert, & audientiam ſibi concedi poſtulat. Recipitur: eiq; vt ſe in ædibus Præfecti Cuſtodiarum contineat, edicitur. Auditur primùm: deinde coram Reo, Petro Guerra auunculo ſuo, vxore ſua Bertranda Rolſia, quatuor ſororibus, duobus affinibus, denique coram omnibus qui Reum pro Martino Guerra agnouerant ſiſtitur. Reus conſpicatus Martinum Guerram nihil turbatur: imò tanta ſeſe obſtinatione cõfirmat, vt etiam vitam præſtare non dubitet, niſi hunc nouum hominem, improbum, impudentem, falſóq; à Petro Guerra ſubornatum oſtendat. Notandũ hîc eſt (vti ſæpe veritatem obnubilari atq; impediri accidit) vtroque de negociis domeſticis, quæ priuatim in ædibus Martini Guerræ ante ipſius abitum, & inter ipſum ac vxorem contigerant, tum iis quæ iam in litis proceſſu con-

tinebãtur, tum quæ modò recens reſcita eſſent, interrogato, verum Martinum Guerram non ea conſtantia & aptitudine, qua falſarium illum, reſpondiſſe. Tuncq; apertis Iudicum oculis, ſubiit ipſorum mentes conſtans perſuaſio, Reum Magicis illuſionibus inſtructum eſſe. Cæterùm ſorores quatuor, Martinum Guerrã, qui recèns aduenerat, vna poſt alteram ſeparatim conſpicientes, vno ore fratrem agnoſcũt, & ſibi imprudentibus, nec ſiniſtri quicquam cogitantibus impoſitum fuiſſe fatentur. Sororij, & reliqui teſtes, qui Reum Martinũ Guerram eſſe teſtati fuerant, idem faciunt, & errorem deprecantur. Mulier verò vltima quum comparuiſſet, nouum hunc Martinum Guerrã intuita, maritum eſſe agnoſcens, oſculo & manibus nititur amplecti, tremebundaq; cum lachrymis multis in terram procumbens, veniã petit, erroris ſpecimina referens, quibus non ſe tantùm ſed & quatuor glores ſuas, alioſq; conſanguineos, & affines circumuẽtos eſſe conſtaret. Ille verò viſis quidem ſororibus fleuit; ſed vxorem vultu minaci excepit, verbiſq; cum illa plurimis cõmutatis, nemini melius notum eſſe debere maritum quam vxori, dicebat: leuitate & incontinentia ſua, familiæ & ſuis omnibus

mnibus hoc infortunium & dedecus accidiſſe. Supereſt vt quis fuerit huius cauſæ exitus, ex Curiæ Tholoſanæ Arreſto audiamus.

Viſo proceſſu à Iudice Riegio inſtructo contra Arnoldum Tilhium, aliâs Panſettum, in carcere vinctum, Martinum Guerram ſe profitentem, & à præfato Iudice prouocãtem, à Senatu decretum & pronunciatum fuit, prouocationem prædicti Tilhÿ irritam, & id cuius cauſa prouocauerat vanum eſſe. Ad ſatisfactionem verò & coerctionem impoſturæ, falſi, ſuppoſitionis nominis, & perſonæ, adulterÿ, raptus, ſacrilegÿ, plagÿ, furti, & aliorum criminum, à prædicto Tilhio patratorum, ex ipſo proceſſu reſultantium, Senatus eum damnauit & damnat ad honorariam reatus deprecationem, ante templum Artigatenſe, vt ibidem genibus flexis, præter induſium nudus, pedibus diſcalceatis, capite diſcooperto, colloq; fune circumligato, manibus tædam cæream ardentem geſtans, à Deo, Rege, Iuſticia, & prædictis Martino Guerra, & Bertranda Rolſia coniugibus, ignoſci ſibi ſupplex poſtulet. Quibus peractis, prædictus Tilhius tradatur in manus lictoris, & executoris ſupremæ Iuſtitiæ, à quo per compita & vicos Artigatenſes pro more Arreſtum.

circumductus, collo fune reuincto, ante Martini Guerræ ædes ſiſtatur, ibiq́; de patibulo in hūc finem erecto ſuſpenſi gula frangatur, & cadauer poſtea comburatur. Cæterùm Senatus certis cauſis & rationibus grauiſsimis motus, adiudicauit & adiudicat bona omnia prædicti Tilhÿ (detractis prius Iuſtitiæ impenſis) filiæ ab ipſo & prædicta Rolſia procreatæ, quam fefellit prætextu matrimonÿ, falsò nomen & perſonam Martini Guerræ vſurpando. Prætereà prædictos Martinum Guerram, Bertrandam Rolſiam coniuges, & vnà Petrum Guerram, Martini auunculum, ab omni proceſſu, inſtantia, & lite liberos fecit, & iterum facit: denique remiſit & remittit præfatum Tilhiū ad Iudicem Riegium, vt Arreſtum hoc iuxta formam, & tenorem eius exequendum curet. Pronunciatum in Prætorio, XII. Septemb. Anno M. D. LX.

Obſeruationes in Arreſtum. *Hoc placitum, ſubiecto ſuo memorabile, ex multis & inſignib. criminibus, ſeptem numero, conflatum, nempe falſitate nominis, ſuppoſitione perſonæ, adulterio, raptu, ſacrilegio, plagio, furto, grauiſsimum magniq́; ponderis eſſe, ex ipſius præſertim fine, attentus lector facilè poteſt iudicare. Quibus octauum Magiæ addi poſsit,*

poſsit, vt ex verbis Arreſti, (Et aliorum criminum à prædicto Tilbio patratorum) coniici quidem poteſt: ſed tamen nil certi compertum eſt. Superiorum verò ſeptem criminum vnumquodque capitis pœnam meretur. Primum, eſt falſa mutatio nominis, quæ notatur ex l. falſi nominis ff. ad legem Corneliam de falſ. præſertim quum dolo malo in alterius damnũ committitur: ſecùs, ſi per innocentem, ex leuitate, ſine dolo id fiat, ſine periculo eſt, l. vna, Cod. de mutatione nominis. Criminis falſi pœna erat, ex rupe alta deorſum præcipitari, quæ ex lege antiqua mors naturalis, ex noua mors ciuilis habetur. l. 1. §. fi. de falſ. Secundum crimen eſt ſuppoſitio perſonæ, quæ ſpecies falſi, grauiq; animaduerſione digna cenſetur. l. qui ſe pro milite geſsit, illo tit. Tertium eſt adulterium, cuius pœna varia eſt ex circumſtantiis loci & temporis. Primo ſeculo adulteri lapidabantur, Leu. 20. Temporibus Oſeæ cap. 7. igni deuouentur: Omnes adulterantes, inquit, tanquam clibanus ſuccenſus. Quod ex Apoc. ca. 21. confirmatur, Erit pars eorum in ſtagno, ſulphure & igni ardenti. Lex deinde Ciuilis ſubſequuta eſt, cuius auctor Iulius Cæſar nominatur, ſed ei Legi ab Octauio, ipſius ex ſorore nepote, mul-

ta ſunt addita, & in ſolidum auunculo ſuo ſoli nuncupata. Iulius itaque Cæſar non tantum primus legem condidit, ſed etiam in domeſtico quodam ſuo, qui cum Equitis cuiuſdam Romani vxore adulterium commiſerat, (etſi nemo de crimine conquereretur, aut illum reum faceret) ſuſpendij ſupplicio puniuit. Conſtat igitur hoc Arreſtum in mortis & ignis genere & ſupplicio, diuinis & humanis legibus conforme eſſe: imprimisque notatu digniſſima eſt l. Quamuis. 2. C. de adult. Quartum eſt raptus, de quo lex expreſſa eſt, Qui cœtu. ibi, qui mulierem vacantem rapuit, vel nuptam, vltimo ſupplicio punitur ff. ad legem Iuliam de vi publica, & in l. raptores, C. de epiſc. & cleric. Quintum, eſt ſacrilegium, de quo d. l. Quamuis. 2. in fin. ſic loquitur, Sacrilegos autem nuptiarum, gladio puniri oportet. Sextum crimen eſt plagij, quod committitur per perſonæ quæ ſit in alterius poteſtate detentionem indebitam, ad abutendum: & crimen publicum eſt, ex l. Flauia. l. plagij. C. ad l. Flauiam de plagiariis: pœna verò, extremum ſupplicium, l. final. ibi, ſeruus vel libertate donatus, beſtiis ſubiiciatur, ingenuus verò gladio conſumatur, illo titulo. Septimum eſt furtum,